



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Disputatio IV. De Speciebus Entis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

Idque ideo, quia datur nemine cogitante fundamentum hæc distinguendi ex Natura rei, hoc est, ipsa re, fundamentum hujus distinctionis dante. Sed quia fundamentum quidem est

actu, sed fundata distinctio non est actualis, ideo non est illic distinctio est Natura rei nemine cogitante actu, adeoque nec distinctio qualem adstruunt Scotistæ.

DISPUTATIO IV.

De Speciebus Entis.

IN hanc Disputationem inseri debent ea, quæ sparsim in aliis materiis dicta de Prædicamentis. Restat nihilominus ut aliqua dicantur de Substantia & accidente.

QUÆSTIO I.

De Substantia.

Agetur de Substantia, prout illa constituitur accidentibus; nam sub aliis formalitatibus jam est alibi expensa.

QUÆRES I. *Quis sit Conceptus Substantia?*
Non moror explicationem secundum quam dicitur illud esse substantia, quod substare natum est accidentibus; cujus conceptus illegitimitas ostenditur per substantiam, quæ est Deus, qui est substantia, nullis tamen subest accidentibus; quamvis enim per aliquos dicatur Deus non poni in prædicamento substantiæ, eo quod in prædicamento non nisi entia finita ponantur, sine tamen inclusione in prædicamento substantiæ dicitur Deus verè substantia prout illa opponitur Accidentibus. Deinde in probabili sententia quantitas est subjectum accidentium, neque tamen per hos est substantia, hicque conceptus qui est receptio accidentium cum sit respectivus, hoc ipso non erit enti absoluto, qualis est substantia primò essentialis. *Hinc aliter*

EXPLICAT I. Arriaga. Quod scilicet substantia sit illud, quod primò constituit primam rem, prima autem res est, quod primò & per se existit, vel quod per se intenditur à natura, & quod est radix cæterorum. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia si quæras, quare Deus sit substantia, non potest reddi ratio, quod sit radix cæterorum, quia per explicantem radicem cæterorum intelligitur id, quod est causa physica efficiens vel emanans suas proprietates & accidentia, quod Deo respectu suarum proprietatum non competit. Non etiam Deus ideo est substantia, quia primò intenditur à natura, quia hic terminus ex communi acce-

ptione accommodatur vel ad solum compositum physicum, vel ad maximum, ad formam, neutrum autem horum Deus. Et si primò intenditur à natura Deus, quid ergo secundò per ordinem ad Deum? Si creaturæ, hoc ipso illæ omnes erunt accidentia. Non etiam Deus ideo est substantia quia per se existit, quia de hoc, ipso quæritur, quid est hoc per se existere; quod si per se existere describas per non existere in alio, explicabis substantiam per negationem accidentis. Tum quia vi hujus explicationis non posset inferri, quod unio entitativa si datur, sit substantialis? item substantia quæ etiam est aliquid substantiale in sententia modalium. Tū quia aliqua etiam accidentia sunt radix cæterorum ut in extremitate partium in ordine ad se, radicatur extremitas in ordine ad locum &c. & tamen quantitas non est substantia; nec apparet ratio, cur non possit accidens esse radix & exigitivum aliud, sine hoc, quod sit substantia.

EXPLICAT II. Oviedo, & cum eo recentior Suar. Quod substantia sit id quod primò & propter se intenditur à natura, vel id quod non intenditur propter aliud adæquatè ab ipso distinctum: Si enim intendatur, cum quo saltem inadæquatè identificatur, propter se intendi dicitur, ut cum materia & forma intenduntur, propter compositum, à quo inadæquatè distinguuntur. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia non apparet, quid hic terminus ad auctorem naturæ accommodari possit, quod primò intendatur à natura. Tum quia creaturæ sunt propter Deum intendique possunt à Deo, propter semetipsum adæquatè ab illis distinctum, & tamen sunt substantiæ, ergo substantia per illud non intendi, non rectè explicatur. Ex probabili phrasi materia intenditur etiam propter formam, ad quam substantialiter ordinatur, & tamen materia est substantia. Quod si dicas creaturas esse propter Deum tanquam propter finem, sed non intendi eo modo quo intenduntur accidentia, redibit quæstio de illo ipso intendi, quid sit? Tum quia nutritio non per se intenditur à natura, sed

ra, sed ex accidenti restaurandi corruptionem, estque quid adæquatè distinctum, à præcedenti compositi integritate, & tamen est quid substantiale. Tum quia in generatione calidi, quæ calidum est, primò & per se intenditur calidum, & tamen calidum, non est quid substantiale, nec refert quod ipsum calidum ordinetur ad ignem: nam formæ etiam partiales substantiales ordinantur ad totalem, & tamen substantiales sunt. Gratia etiam aut visio beata nescio propter quid aliud intendatur, & tamen non est quid substantiale. Quod autem dicit Oviedo calorem non intendi propter calidum, sed propter subiectum, dicam etiam formam substantialem rugilitatis, non intendi propter se, sed propter subiectum seu materiam, vel ad maximum materiam propter formam, vel dicam etiam calidum ut calidum, intendi propter se, licet sub alia formalitate intendatur propter subiectum, ad eum modum, quo prima operatio diverso respectu est primò propter se appetibilis, licet sub formalitate partis, appetibilis sit propter Syllogismum, & si intendi propter subiectum, deicit formam à ratione substantialis, cur intendi propter compositum, quod illa forma ingreditur, sed cum compositum, quod illa forma ingreditur, sed cum comparte distincta realiter, non deiciet à conditione formæ substantialis.

EXPLICAT II. Perez. de Incarnatione, ponitque duplicem definitionem: *Prima definitio Substantiæ est Logica* desumpta ex Post. 1.9. ENS substantiale seu per se dicitur quod non de subiecto alio dicitur ullo, quod ut explicet.

PONIT. I. Quod videatur definitio hæc esse falsa, nam anima equi est substantia, & tamen dicitur de subiecto, quod est materia equi, bene enim dico: id quod animat materiam equi, est anima equi. Quod ut solvat.

PONIT. II. Nullam esse intelligibilitatem, quam non possimus pro arbitrio in recto vel in obliquo nominibus exprimere, esse tamen quasdam res, quæ in prima naturali & optima intelligendi ratione, intelligantur ab omnibus, recto aspectu, alia obliquo: hæc ita se habere clarum est, nemo enim primò sentiens & intelligens dulcedinem primò dicit dulcedo, sed dulce, id est, habens dulcedinem. Postea verò possumus pro nostro arbitrio illud concretum dissolvere, & formare nomen dulcedo, quam definientes dicemus, dulcedo, est quæ aliquid est dulce. Hæc est notissima definitio dulcedinis, si autem non conciperemus prius dulce quam dulcedinem, ineptò definiretur dulcedo per dulce, res enim definire solemus per ea quæ notiora sunt, & prius concipiuntur. Si quis autem velit formare concretum, in quo velit dulcedinem in recto collocare, & in obliquo subiectum, ut si dicatur dulcedo pomata, violentiâ quadam id fit, & quasi ordinem naturalem invertendo, multoq; melius oppositum sit, tanquam magis imi-

tans naturam rerum, unde etiam demonstratio à priori præfertur demonstrationi à posteriori, quia illa magis imitatur naturam rei, & modus cognoscendi ipsius, sequitur modum essendi, cum progrediatur à causis ad effectus concludendos, & incipiat à causis cognitionem; ut esse, natura incipit à causis.

PONIT. III. Quando Aristoteles dicit, est per se, vel substantiam, esse id, quod de nullo alio dicitur subiecto, intelligendum esse de subiecto prædicationum & denominationum intrinsecarum, quod est tale secundum primam naturalem & optimam intelligendi rationem, tale autem est id, quod naturaliter & primò est rectum. Itaque accidens, est id, quod ne partialiter quidem, est rectum, secundum naturalem intelligendi rationem, sed obliquum vel modus obliqui. Hinc accidens respectu nostri intellectus, est ens interminatum, in quo non potest firmari noster intellectus, & est simile diaphano seu perspicuo interminato; in quo nunquam figitur visio oculorum, sed ulterius progreditur, usque ad superficiem opaci, lucentem & coloratam. *Hæc illius explicatio.*

NON SATISFACIT I. Attendendo ad ea quæ habentur posito II. Tum quia huius ipsius primi & naturalis modi cognoscendi danda esset ratio, cur in illo semper prius attingatur substantia & non accidens. Tum quia id quod est de linea dulcis, primò in nobis movet sui intellecti- onem, quod primò movet sui sensationem, prius enim est esse in sensu postea in intellectu; casu autem quo primò esset in intellectu substantia, quam accidens, quod primò movet sui sensationem falsum hoc redderetur principium. Quod autem primò moveat sui sensationem dulcedo, & non substantia dulcis, hoc exinde probatur, quia mediis accidentibus in ipsas notitias & differentias substantiarum devenimus, & in particulari per sensationem gustus, quæ appellatur dulcesfactio, vel dulcis perceptio, devenitur in notitiam dulcis, hoc autem quod illic sensu percipitur, non est substantia sed dulcedo. Unde primò gustans dulcedinem, nego quod dicat dulce, sed dicit dulcesfactivum, hoc autem non est substantia sed dulcedo proximè, consequenter primò gustans, dicit: dulcedo æquivalenter. Tum quia sicut possumus dicere dulcedo, est quæ aliquid est dulce, ita possumus dicere est dulcedo subiectum & Unio. Ergo non prius erit rectum ipsa substantia quam accidens. Deinde cum res definiatur per ea quæ notiora sunt & prima, cum ipsum dulce definiamus per habens dulcedinem, substantia & erit primum rectum & non erit, erit quidem ut supponitur, non erit autem, quia definitur per dulcedinem, quæ hoc ipso erit prior & notior utpote definitiva dulcis, cum tamen definitiones fiant per priora & notiora. Denique cum prima operatio sit simplex qualitas, illaque repræsentet ly dulce, hoc est dulce fa-

cturum, aut habens dulcedinem, quomodo dulcedo habebit verè & realiter rationem prioris. Tota ergò imaginatio Auctoris est. Ex eo, quòd in lingua Hispanica hic ordo passim fervetur, transferturq; ab auctore ad conceptus, quod non esse universale, ostendit vel ipse ordo grammaticus, qui solet à Magistris fieri in lingua Latina.

NON SATISFACIT II. Quoad ea quæ habes posito Terrio. Tum quia non apparet quando dicitur, anima equi de materia ejusdem, cur inquam non dicatur de aliis subjectis denominationum intrinsecarum, ergò quantum saltem ex vi hujus termini Ly substantia, non dicitur de alio subjecto denominationum intrinsecarum, inferri deberet animam equi non esse substantiam, cum de facto de alio denominationum subjecto dicatur, hoc est Materia. Tum quia rectum & obliquum sunt revera secundæ intentiones, quid ergò in re illud est rectum. Tum quia omne noscibile ex eo ipso quia noscibile est, potest terminare cognitionem, cum tamen lucidum interminatum, non terminet visionem, si potest terminare cognitionem, potest firmare cognitionem; hæc enim verbis differunt, consequenter competit id etiam accidenti, jamque per Perez accidens transibit in naturam substantiæ, firmabit enim notitiam.

NON SATISFACIT III. Quia hæc tota doctrina non exhaurit difficultatem, juro quid est substantia sub terminis Perez. Est id quod in naturali cognoscendi ratione primo ponitur in recto: de hoc ipso quæro, non quidem quid sit poni in recto, sed quid illud est quod ponitur in recto, seu quæ res illa est.

Secundam definitionem substantiæ dat Metaphysicam, dicitq; ex Aristotele, quod substantia sit primo ens, vel primum subjectum. Dicit autem substantiam esse primum ens naturaliter, permanentem, & intimè esse primum. Naturaliter quidem, id est ex propria & naturali virtute, & non per solam potentiam obedientialem; omnes enim consentiunt albedinem miraculosè separatam à substantia & subjecto, non esse substantiam, quamvis tunc acquirat esse ens primum. Dicit substantiam esse ens primum permanentem, quia constat apud omnes, substantiam esse ens primum per modum fundamenti: Unde Aristoteles inter alias proprietates, tribuit substantiæ prioritatem rationis & naturæ. Dicit debere esse intimè primum, quia si definitio intelligeretur de ente omnino primo, non habente ullam sui causam, solus DEUS esset substantia. Nomine primi intelligendo, id, quod non habet aliud sibi unitum & intimum alicui posteriori, virtute ipsius existente. Primum etiam est dupliciter, ut *quo* & ut *quod*. Primum ut *quo*, appello ipsam primitatem actualem: ut *quod* autem, est primitatis causa formalis, quæ informando subjectum infert efficiaciter primitatem sibi & subjecto unitam. *Hæc explicatio.*

NON SATISFACIT I, Quia nec ex mente

Aristotelis, nec secundum limitationes adlatas recta adhuc statuitur definitio. Non secundum mentem Aristotelis, quia verba ejusdem limitat Perez ad placitum quæ nec æquivalenter saltem omnia habentur in hac materia in Aristotele: præcipuè autem quia illic erat mens Aristotelis solum definire, quòd substantiæ, adveniant accidentia. Limitatio non convincit, nam sicut id quod est res, non est necesse ut non nisi naturaliter possit existere sine alio; sufficitq; quòd possit existere divinitus & miraculosè. Ergò etiam & ad substantiam, sufficit quod potest existere saltè miraculosè, tanquam primum. Rursus non satis intelligitur qui evadat ens primum accidens, miraculosè existens separatim. Limitatio Secunda non convincit quia non apparet implicancia, cur, si non substantia, saltem aliquid substantiale, non possit esse transiens quid, Aristotele scq; substantiæ tribuit prioritatem rationis & naturæ, in quantum substantia habet rationem causæ, sed hoc planè ad formalitatem causæ spectat, non autem ad Naturam substantiæ. Limitatio Tertia non convincit. Quia quæro quid sit hoc esse intimè primum, cum intimitas spectet vel ad identificationem vel ad coexistentiam localem, per quæ duo prædicata utpote alterius Categorici, non apparet quomodo definiri possit prædicamentum substantiæ. Deinde in unione sub formalitate unionis spectata, non habetur ratio prioris vel posterioris, sed simultaneè se in unione habent, & in quantum non simultaneè sunt, jam est exclusio unionis, & tamen supponit Perez prius & posterius in intima unione, illud scilicet cet posterius, quod virtute illius prioris existit. Deniq; non apparet, quid ille terminus primitas actualis, velit: qui item distinguatur à primitatis causa formali, cum videatur primitatis causa formalis esse primitas actualis, sicut formalis albedinis causa, est forma albedinis seu actualis albedo.

NON SATISFACIT II. Quævi hujus doctrinæ, sequitur, formam materiale non esse substantiam etiam incompletam, certè enim illa non est subjectum primum, nec ens primum, cum supponat materiam, tanquam sui in suo genere causam, tanquam prius subjectum adeoq; primum, uniturq; illi tanquam quid posterius, virtute materialisationis existens; & sicut accidens, ita nec illa, habet jus naturaliter existendi sine subjecto, quod tamen requiritur ad substantiam ex limitatione prima.

NON SATISFACIT III. Quia restitui possunt quæ sibi in contra objicit Perez.

I. RATIO EST. Vi hujus doctrinæ sequitur personalitatem angeli, quæ est substantialis, non esse substantialem, quia illi non convenit hæc definitio, supponit enim naturam angeli ut se priorem, & quia dependet tanquā à causa materiali ab ipsa.

RESPONDETUR. Naturam Angeli secundum se, non esse actu ens intimè primum, potuit enim uniri Personæ divinæ.

CONTRA. Quia vi hujus doctrinæ, sequitur, ut

ut salvetur, quod personalitas Angeli, sit substantialis, ipsam naturam Angeli non esse substantiam, quia vi hujus quod uniri possit Personæ divinæ, evadit ne sit ens primum intum.

II. RATIO EST. Præviæ dispositiones ad formam cadavericam, sunt quid intum primum, ut quo; quia sunt causæ formæ cadavericæ & supposititalitatis consequentis.

RESPONDETUR. Dispositiones illas habere præcedentiam momentaneam, quæ subito præit, ac proinde non sufficit ad præcedentiam substantialem.

CONTRA. Præter jam dicta quia immerito supponit dispositiones illas esse momentaneas, revera enim saltem illæ remotiores & quæ non sunt ultimæ, non habent præcedentiam momentaneam. Rursus cum contingere possit; quod aliquæ dispositiones tam diu durent ac formæ materiales, cur ergo non erunt substantiales, cum ex eo dicantur deici à conditione substantialium, quia habent momentaneam præcedentiam. Rursus hæc præcedentia momentaneæ est delinea durationis, quid conferet ad rationem substantialis, nec videtur posse inferri distinctionem genericam substantialis & accidentalis, quod diu vel non diu duret.

III. RATIO EST. Creatio activa materiæ v. g. primæ est accidens, & tamen est ens primum, cum præcedat suum terminum vel certè non subsequatur.

RESPONDET PEREZ. Missis aliorum principiis, concedendo creationem esse modum accidentalem, & non esse primum intum, quia eadem primitas, id est, supposititalitas manere potest, etiam variata creatione materiæ.

CONTRA. Posito quod eadem supposititalitas materiæ manere possit, etiam variata creatione materiæ, nego adhuc creationem non habere rationem prioris, adeoque adhuc habebit rationem substantialis.

EXPLICATUR IV. Substantia, fundamento habito in Hurtado. Substantia vel substantiale, est id, quod existit per se, per se autem illud existit, quo relicto & circumscriptis aliis, reiectisq; ab illo distinctis, non censetur ens quidquam essentialis, sibi amisisse. Et ita in DEO Misericordia est substantia, quia si eam auferas à DEO, non est DEUS, censeturq; aliquid essentialis sibi amisisse. Materia prima est substantia, forma item, quia si ad invicem à se circumscriptantur & separentur, nihil essentialis materia, formaque amittit. Si autem circumscribas à composito formam, aliquid essentialis amittet compositum. Rursus accipe aliquod artificiale opus, cuius forma est non aliud, nisi quantitas, aliq; accidentia sic vel ita terminata, circumscribe hæc accidentia à subjecto, nihil essentialis perdet subjectum. Per Ly autem essentialis, simpliciter excluduntur accidentia, quæ non nisi cum certis reduplicationibus sunt essentialia, & ita calido quæ cali-

dum est, essentialis est calor, sed hæc essentialitas non est essentialitas simpliciter, sed cum addito reduplicationis vel intentionis nostræ.

QUÆRES II. Quotuplex est Substantia? Dividitur substantia in completam quæ est totum per se non ordinatum ad aliud, qualis est DEUS, Angelus, compositum substantiale. Et in substantiam incompletam, quæ est aliquid per se, sed essentialiter ordinatum ad aliud, quales sunt formæ substantiales. Substantia rursus completa dividitur in creatam & incretam, &c. Inter alias autem divisiones, est etiam divisio substantiæ in substantiam primam & secundam, nomine substantiæ primæ venit substantia individua, de hac sentit Aristoteles, quod de subjecto non dicatur, intellige tanquam aliquid superius. Dicit rursus, quod in subjecto non sit, quia individuum non recipitur in alio individuo. Substantia autem secunda est substantia universalis, de hac dicit Aristoteles, quod non inest subjecto, hoc sensu quia quidquid existit, singulare est. Secundo quod dicitur de aliquo subjecto, quia illi convenit habere inferiora & predicari de illis. Sed circa substantiam nulla principaliter agitari potest quæstio, quàm de termino substantiæ, qui est substantia, à cuius intellectione, multæ etiam fidei quæstiones pendent.

DIFFICULTAS I.

De Subsistentia secundum se.

PRÆMITTO I. *Explicationem terminorum in hac materia usitatorum.*

SUBSTANTIA EST ENS PER SE EXISTENS, & in præsentia non distinguitur à natura & essentia, quorum terminorum differentia ex aliis locis supponitur, eadem enim entitas prout est ratio per se essendi vocatur substantia, prout est principium omnium perfectionum, vocatur natura. Unde etiam materia & forma dicuntur naturæ, quia illis competit ratio principii, & eadem entitas quatenus per eam responderi potest ad interrogationem quid est, vocatur quidditas, neque enim quando quæritur quid est hoc? licitum est respondere, per prædicamentum quantitatis; quod sit longum, vel qualitatis quod sit dulce, sed respondemus per ipsum rei esse, quod sit homo, Leo &c. Nomen etiam græcum *οὐσία* appropriavit usus, ad secundam substantiam.

SUBSISTENTIA VARIAM ACCEPTIONEM HABET; I. enim sumitur pro quocunq; verò & non deceptorio, & quia veritas alia est in rebus seu objectiva; alia in conceptu seu formalis, ita & substantia alia est rerum, alia conceptuum. De substantia rerum loquitur Aristoteles lib. de mundo ad Alexandrum, *quadam dicuntur in aere habere hypostasim seu substantiam ut nubes, quadam verò non habere, ut Irides.* Subsistentiam

† P 2

con-

conceptuum exprimit illa usitata phrasis: hæc conclusio, probatio &c. non subsistit, seu non est vera. II. sumitur subsistentia pro carentia motus. III. pro eo quod fundamenti loco est, cui reliqua supponuntur. Et ita basis, est id, supra quod columna subsistit. IV. pro eo quod existit & excludit actualem inhærentiam. Et sic accidentia Eucharistica, dicuntur subsistere sine subiecto. V. sumitur etiam subsistentia pro quocunque in rerum natura existente. Caterum subsistentia (prout hic de illa) accipitur potissimum pro complemento ultimo substantiæ mox explicando: sic subsistentiam sumptam, appellat usus hypostasim.

ADDO tamen in rigore Philosophico loquendo malam esse hanc locutionem: Subsistentia Petri, subsistentia Pauli, sed dici deberet: subsistentia Petrus, subsistentia Paulus, Ly enim v. g. subsistentia Petri ex modo loquendi, significat subsistentiam, esse quasi partem aliquam Petri, esseq; illam in Petro haberi; ab illo, cuius oppositum sentiendum est de subsistentia ut infra dicitur. Colligere id est ex S. Thoma 3. par. q. 2. ar. 3. in Th. Et in quodlibeticis quæst. q. 9. ar. 2.

PERSONA, INTERDUM SUMITUR PRO CONCRETO, INTERDUM PRO ABSTRACTO. Sumpta pro concreto dicit naturam & subsistentiam. Sumpta autem pro abstracto, dicit idem quod subsistentia, cum hoc tamen discrimine, quia ratio subsistentiæ est quid commune ad suppositum rationale & irrationale, nomen autem Personæ, denotat nonnisi substantiam rationalem. Hinc Personam definit Boëtius, rationalis naturæ individuum substantiam.

SUPPOSITUM. MULTIPLEM HABET SUI ACCEPTIIONEM. Interdum enim suppositum sumitur physicè, quomodo se habet materia ad formam, interdum sumitur Logicè, quomodo patriculare dicitur esse sub universali, seu suppositum universali, concretum sub abstracto &c. Sumitur deniq; metaphysicè & prout hic de illo h. e. pro concreto ex natura & subsistentia. Interdum etiam sumitur pro ipsa subsistentia. Caterum qui admittunt subsistentiam absolutam in Divinis, non concedent idem esse subsistentiam & personam. Suppositum sic sumptum plures habet sui denominationes, vocatur enim res naturæ, quia cum hypostasim non conveniat nisi primis substantiis seu individuis, quæ sola realiter & non per intentionem existunt, hinc bene suppositum vocatur res naturæ, quia scilicet non convenit nisi realiter existentibus. Rursus idem suppositum vocatur hoc aliquid, ad significandum triplicem determinationem entis subsistentis. I. quæ excludat universalitatem substantiarum secundarum. II. quæ excludat rationem individui vagi. III. quæ excludat rationem partis, adeoque indicet vel constituat hoc vel illud totum.

PRÆMITTO II. *Aristoteles si non agnosceret aliteratem inter substantiam & subsistentiam, saltem fundamentum dedit in sua pure naturali Philosophia, disceptandi: annon esset distincta*, nam in Logica 1. Post. t. 9. inter 4. modos, quibus aliquid de alio per se dicitur, numerat hunc tertium: cum aliquid non dicitur de subiecto aliquo, estque substantia, & hoc aliquid significat quod propriissime in subsistentiam cadit de quo infra. In Physicis 1. de anima t. 64. *Humanitas inquit non stat nec ambulat sed homo.* In Metaphysicis 5. Metaph. t. 16. duobus modis asserit substantiam dici in quantum est *Quod quid*, qualis est forma & species, & in quantum est ipsum ultimum subiectum, quod de alio non dicitur. Jam verò per nos esse ultimum subiectum, est ens per se, esse autem ens per se, est solum ac separatum ab omni alio existere, ita autem existeret, est esse substantiam individuum per quam definitur subsistentia à Boëtio.

PRÆMITTO III. *Quenam fuerunt controversia in Ecclesia de ista materia, 1. Controversia fuit excitata ab Ariano, quæ impugnabat naturam potius ipsam & Deitatem, quam Personam, dum aliqui secundam Personam creaturam ab æterno conditam, alii nonnisi ex generatione materna productam, alii minorem DEUM dicebant. Opposita illi controversia fuit Sabellianorum quæ magis circa subsistentias & personas versabatur, tollebat enim distinctionem Personarum, quibus accesserunt Patropassiani, qui dicebant Patrem pro nobis passum esse, &c. II. Controversia fuit excitata à Nestorio, qui non solum duas naturas sed & duas Personas in Christo ponebat, quamquam non tam id docebat quam id potius tequebatur ex doctrina Nestoris, pernegabat enim se admittere duas Personas in Christo, quod expressit Cyrillus Epist. 8. ad Clerum Constantin. &c. Quandoquidem inquit scorum habent duos predicare Christos ac duos Filios ac hominem scorsim & DEUM, scorsim constituere, eoque stabiliro solarum personarum unionem asserunt, idcirco versutè agunt & excusationes in peccatis fingunt.* Vide Petavium de Incarn. lib. 5. c. 9. Cui oppositus fuit error Eutichetis, duas personas cum Ecclesia negabat, sed contra Ecclesiam & contra Nestorium, etiam duas naturas Christo auferebat, quæ lecta divisa fuit, alii enim dicebant ex duabus naturis factam esse unam, utebanturque similitudine Athanasii, qui adfert similitudinem unionis corporis & animæ ad explicandam unionem hypostaticam, alii dicebant non mutatas esse duas naturas, in tertiam, sed humanam integram, non mansisse. de sentu Eutichetis prolixè discurrit Lugo de Incarn. tota Disp. 9. III. *Controversia erat intra terminos Catholica fides, eratq; non de re, sed de sola voce quid scilicet hæc vox vera quid hypostasim significaret.* Hieron. Epist. ad Damas. 57. renuebat admittere tres hypostasim in DEO, ne videretur tres naturas admittere. Gregor.

Gregor. Nazianz. Orat. 12. & Damasc. lib. 1. a. 8. etiam nomen *ὁμία* à DEO secernebat, eo quod nomen substantiæ importet rationem subiectantem accidenti; DEUS autem accidentium capax non est. Vide August. 1. 7. de Tr. c. 5. Rursus Athanas. Epist. ad Afric. *Hypostasis aut est una.* Similia habet Orat. 5. contra Arrian. Cyrillus Hieros. Cat. 6. ait *DEVM esse multinominem & omnipotentem & unius modi hypostasis.* Concilia tamen Constantinopol. I. Chalcedon. II. distinxerunt illas voces & ante illa Dionis: Areopag. c. 2. de Ecclesiast. hierarchia, ubi de baptismo loquens, *rer inquit ipsum mergit Aristes, ad tres ejus qui initiatur demersiones, & emersiones trinam Divinae felicitatis invocans hypostasin.* Gregor. Nazianz. Orat. 72. dicit de Deo, unum esse Usia, trinum hypostasis. Quia ipsa in re duplex fuit controversia, primà merè græca, an idem sit Usia & hypostasis, alia autem controversia fuit de latina translatione an idem esset Usia & latinum substantia, an idem hypostasis & persona seu substantia. De hac secunda citatus Hieronymus discurrebat. *Interrogamus, inquit, quid tres hypostases, esse arbitrentur, intellige tres Personas subsistentes, ajunt, respondemus nos ita credere.* Et subdit, nihilominus taceantur tres hypostases si placet, & una teneatur.

Punctum Difficultatis I.

Quid definitivè Subsistentia?

PRÆMITTO I. *Quid sit esse individuum seu substantiam primam?* revocòq; breviter aliud esse individuum primò intentionaliter de quo egi de Unitate, aliud individuum, secundò intentionaliter de quo in Logicis, utroq; modo sumptum concipi potest & tanquam aliquid positivum, & tanquam aliquid negativum. Individuum primò intentionaliter positivè tamen acceptum, est ipsa entitas, radix indivisionis in aliud se, negativè autem acceptum, est ipsa negatio divisionis in aliud se. Individuum secundò intentionalit. r positivè acceptum, est id quod subest speciei & prædicatur de uno. Negativè autem acceptum, est id quod non prædicatur de multis. Ex hoc autem collige individuum involvere incommunicabilitatem: nam nec plura esse, nec de pluribus prædicari potest. Et quia incommunicabilitas opponitur communicabilitati quot modis dicitur communicabile, tot modis dicitur incommunicabile individuum: jam autem communicabile aut communicatum, aliud est communicabile alteri, ut subiecto inhaesionis, & sic est accidens. Individuum autem quod est Petrus, non potest esse accidens, aut est communicabile alteri ut inferiori, & sic individuum incommunicabile est, quia nil habet se inferius, aut denique est communicabile ut toti, & hoc repugnat individuo, si per se stet. Porro individuum spectare ad rationem Personæ, colligi-

tur ex proportionē & habitudinibus utriusque, sicut individuum, non potest prædicari de pluribus, sic nec Persona, individuum dicit incommunicabilitatem, dicit & Persona. Hinc S. Thom. 3. q. 3. art. 1. ad 2. Personam dicit appellari incommunicabile, quia non potest prædicari de pluribus. Rursus individuum coincidet cum particulari, rationem autem Personæ coincidere cum particulari infra videbimus. Deniq; individuum infert incommunicabilitatem, infert & subsistentia, quæ neque potest communicari alteri ut subiecto per modum accidentis, neque ut inferiori, cum non sit universale, neque communicari potest toti ut pars, quia est rei totalitas ut dicitur.

PRÆMITTO II. *Quid sit habere rationem totius;* Explicatur hoc imprimis in sententia Aristotelis, qui 5. Metaph. ait: *Totum est à quo nulla pars abest, eorum ex quibus totum natura dicitur.* Rursus quid sit habere rationem totius bene explicatur per negationem partis, seu per non habere imperfectiones partis, quæ omnia explicat Philosophus ibi d. 1. 30. *Partes esse ex quibus totum componitur aut in quas aliquid dividi potest, sive hoc sit quantum ut duo respectu trium, sive non quantum quomodo genus est pars speciei, unde ulterius intererat infinitum quod appellabar, accipere extra, habere potius rationem partis, sicut enim pars, est id propter quod in toto est aliquid accipere extra.* Numerat Aristot. imperfectiones partis has; I. perfectione & entitate minorem esse toto, H. habere se ad totum ut materiam ad formam ex 2. Phys. t. 31. III, quod se habet ad totum sicut habitum ad habens ex 5. Metaph. tex. 29. & quod inde sequitur pars non est sua sed totius, habeturq; non habet. Unde etiam dicit 1. Polit. c. 3. *Pars, inquit, non solum est alterius, sed etiam omnino alterius, ut servus non solum est ad dominum, sed omnino Domini.* IV. quod esse potius toti competat quam parti ex 2. Metaph. t. 46. & quia partes sunt potius inchoatio entis quam ens, totumq; respectu illarum, habet rationem completi & integri. V. Quod illam esse unitam melius sit ipsi, hinc etiam communicabilis est, perficiturq; in toto. Denique partis non est agere sed totius ex 1. de Anima t. 64. Porro rationem substantiæ non habere rationem partis, ex antiquioribus docet Theodorus Abucara Opusc. 29. Hinc inter notas hypostasios censet, quod hypostasis inquit, non sit pars, & subdit, *non sufficit naturam componi ex propriis notis ad constituendam hypostasin, sed ad hoc concurrere insuper oportet ut non sit pars.* S. Thom. Opus 2. contra Græcos c. 6. rationem reddit cur manus in homine non habeat rationem subsistentis, quia habetur à toto. Sed de hoc loco infra. Similia habet in 3. d. 5. q. 1. ar. 3. ad 3. & q. 2. a. 2. ad 2. ubi rationem reddens cur anima separata non sit Persona, quia potentia est pars. Et Leonti Bizantius lib. adversus Nestorium & Eutich. similia habet.

† P 3

PRÆ-

PRÆMITTO III. *Quid sit habere rationem perfecti*, quod explicat Aristoteles 5. Metaph. c. 16. perfectum est illud, extra quod, non potest ulla accipi particula, velut tempus, uniuscujusque perfectum hoc dicitur extra quod non potest ullum tempus accipi, quod pars sit istius temporis, & subdit infra. *Unumquodque enim tum est perfectum, & omnis substantia tum est perfecta, cum secundum propriam virtutis speciem, nulla deest pars ejus magnitudinis, quam natura sua requirit.* Ly autem magnitudo sumitur hic non pro quantitate, sed pro tali vel tali connexionē prædicatorum. In idem recidit doctrina Aug. qu. tr. 102. in Joan. *Plenum, inquit, tantum est, ut aliquid ei jam non sit addendum*, unde colligis rationem perfecti coincidere cum ratione totius, licet sint aliquomodo distincta. Notat autem Petavius lib. 5. de Incarn. c. 8. n. 6. Perfectum in triplici differentia sumi ab Aristotele: I. perfectum in quantitate hocque describit. Perfectum inquit est extra quod nulla est pars illius. II. Perfectum in qualitate, quo nihil est in aliquo genere præstantius, quomodo dicitur perfectus medicus. III. sumitur perfectum per ordinem ad finem. Ea enim quæ finem suum obtinent, perfecta dicuntur terminataque. Jam autem ad hypostasim pertinere ut sit ratio perfecta, docet expressè S. Thom. loco citato contra Græcos: *Humana, inquit, natura in Christo non est accidens sed substantia, non universalis sed particularis, nec tamen hypostasis dicitur, quia assumitur à principali.* Idem habet 3. p. 9. a. 2. ad 3. Ubi præ ratione redditur manus non sit Persona, quia non per se existit, sed in quodam perfectiori, scilicet in toto, his præmissis.

DICENDUM EST: *Subsistentiam esse substantiam primam seu primum individuum prout dicit rationem totius & perfecti.*

PROBATUR I. Methodo resolutiva. Subsistentia non est nihil, subsistentis enim differre, non est nihilo differre. Si autem subsistentia est ens, ergo est vel accidens, vel substantia, non est accidens, quia aliàs non esset completivum substantiæ in esse per se stantis, si ipsa non potest stare, nisi in alio sicut accidens. Si autem est substantia substantia, ergo vel est substantia prima vel secunda, sed non est substantia secunda, quia hæc est universalis, communicabilis, prædicabilis de multis, quæ omnia subsistentiæ non conveniunt. Rursus cui competit esse substantiam, vel est pars, vel totum, subsistentia non est pars, quia illi non competunt imperfectiones & prædicata partis supra recensita, ergo est subsistentia dicens rationem totius, adeoque & perfecta atque adeo colligendo in unum divisiones. Erit substantia prima, prout dicit rationem totius.

PROBATUR II. Quia enumerata prædicata conveniunt subsistentiæ quæ tali, omni, soli & semper proceditque definitio per talia prædicata, quibus ex modo concipiendi non dantur priora.

PROBATUR III. Quia omnia alia prædicata, per quæ ab aliis definiri solet subsistentia, revocantur ad prædicata, quod signum est illam procedere per prima, includereque radicem reliquorum. Et ita definitio illa subsistentiæ est terminus seu complementum naturæ, coincidit cum datâ definitione, quia sicut totum per Aristotelem, est id, cuius nihil est extra, ita idem terminum defin. ens, dicit esse ultimum cuiuscunque. Revocatur item definitio Boëtii per substantiam individuum, intelligendo incommunicabilem alteri per modum partis. Revocatur definitio illorum qui subsistentiam definiunt per negationem unionis ad perfectius, si enim natura habet rationem totius, pars non est, si pars non est, nihil est in illo subsistente, quod sit perfectius cui illa uniri deberet. Non utor tamen hac definitione, quia procedit per prædicata negativa quæ in ente positivo non sunt prima.

ADDENDÆ HIC SUNT auctoritates PP. subsistentiæ Trinitatis per esse totius & perfecti explicantium. Talis est locus Nazianz. de fide Orat. 49. Col. 1. inter medium & finem ubi dicens Filium esse de Patre inquit *totum de toto. integrum de integro, perfectum de perfecto.* Hilar. lit. 1. de Trinit. Column. antepenult. *Patrem in Filio & Filium in Patre esse, plenitudo Divinitatis in utroque, perfecta est.* Athanas. Orat. contra Gregor. Sabel. *Univerſa plenitudo & integritas Deitatis, est Pater ut Pater, universa item plenitudo Deitatis, est Filius ut Filius.* Et tamen hæc reduplicaciones de personis indubie procedunt. Damasc. lib. 1. de fide c. 10. *Non ex tribus imperfectis unam perfectam naturam compositam intelligamus, sed in tribus perfectis Personis unam simplicem substantiam, super perfectam, & ante perfectam.* Quem locum pulchre commentatur Ruiz. Disp. 30. de 7. Substantia non dicitur ante perfecta quasi sit perfecta prius quam adveniant subsistentiæ, sicut non dicitur super perfecta, quia perfectione superat subsistentias, sed illud ante & super dicitur comparatione cuiuscunque perfectionis creatæ. Theorianus tom. 11. bibl. Patrum ut cum citat Petav. lib. 2. de Incarnat. c. 3. n. 9. *Quid inquit est per se subsistens? quod per se est, non propter aliud, neque in altero habet esse, hoc est, quod non indiget aliquo alio extra se, ut existat.* Planè quasi phr. si nostra diceret, quod non habeat rationem partis in alio, sed rationem totius.

OBJICITUR I. Si subsistentia, est substantia individua, ergo quot sunt personæ, tot erunt substantiæ individua. Ergo in Divinis dabuntur tres substantiæ Divinæ, ergo & tres Dii individui.

RESPONDET I. S. Thom. q. 7. de potentia. Substantiam dupliciter sumi pro essentia, & hæc una in Divinis, secundò pro hypostasi & hæc tres in Divinis, propter æquivocationem tamen, non debent dici tres substantiæ individua.

RESPONDETUR II. Neg. sequelam, quia ea quæ

ea quæ per connotata explicantur multiplicatis suis connotatis, non est necesse multiplicari secundum id quod dicunt in recto. Sic v. g. multiplicatis Paternitatibus non est necesse multiplicari secundum id quod dicunt in recto. Sic v. g. multiplicatis Paternitatibus non est necesse multiplicari entitates Patris, in relatione item transcendentali multiplicatis connotatis terminorum, v. g. effectuum & causabilium, non est necesse multiplicari ipsam entitatem causæ, & sic de reliquis connotatis, cum ergo à subsistentia, ratio substantiæ primæ, importetur nonnisi in recto, ratio autem totius pro obliquo, multiplicatis habentibus tribus rationem totius, non erit necesse multiplicari ipsas substantias, verè autem in Divinis dici potest, quod habeant tres rationem totius, neque enim ad se comparantur ut partes, quod si non sunt tres substantiæ individua, non erunt tres Dii individui.

INSTABIS. Natura divina prout condistincta à subsistentia non est universalis, ergo est individua & tamen non Persona. Ergo ratio Personæ non consistit in ratione substantiæ individua.

RESPONDETUR. Nomine naturæ individua duo venire. Primò ratio incommunicabilis alteri ullo modo, & hæc non competit naturæ Divinæ quæ communicatur tribus Divinis suppositis, & tamen ratio incommunicabilis, est ratio constitutiva subsistentiæ. II. Ratio individui supponit pro non divisibili in aliam entitatem; hæc ratio competit naturæ Divinæ, sed non constituit differentialiter Personam.

OBJICITUR II. Hæc definitio coincidit cum definitione Boëti quæ admitti non debet. Nam humanitas Christi est substantia individua naturæ rationalis, & tamen non habet Christus Personam humanam.

RESPONDETUR. Prædictam definitionem si rectè intelligatur admitti posse, nempe si nomine individui intelligatur natura, non illa quæ est indivisibilis in aliam entitatem, sed quæ nullo modo est communicata alteri.

INSTABIS. Formalitas illa quæ constituit subsistentiam, vel est totalitas prædicatorum essentialium, vel est aliqua alia totalitas, si est totalitas prædicatorum essentialium, Ergo natura humana Christi erat inassumibilis, quia implicat ut substantia prædicatis suis essentialibus careat. Quod si subsistentia importet aliquid aliud & non totalitatem prædicatorum essentialium, quæ illa totalitas est?

RESPONDETUR. Totalitatem hinc accipi prout est radix negationis esse partem, esse in alio &c. similia.

OBJICITUR III. Patres ordinariè explicant subsistentiam per naturam, una cum accidentibus sumptam.

RESPONDETUR ad explicandam subsistentiam, assumi accidentia, tanquam aliquid

notius, non tanquam quidditativum quid, ad eum modum quoad explicandam individuationem accipit S. Thom. materiam signatam, non nisi tanquam aliquid notius.

OBJICITUR IV. Si persona esset substantia individua prout habet rationem totius. Ergo quoties mutatur ratio totius ut mutatur in omni nutritione, toties mutabitur Persona.

RESPONDETUR. Probaturum hoc argumentum quod toties mutetur ratio paternitatis, quoties mutatur entitas Patris qui est Pater. Directè autem dici potest quod quoties mutatur ratio substantiæ individua, secundum quod individua est h. e. quoties ex incommunicata, communicata, ex tota in rationem partis transit, toties mutatur Persona, licet non mutetur mutatione alia posita.

ADDO HIC ad non pauca solvenda, quod aliud sit habere naturam totam & aliud habere se illam per modum totius. Nam humanitas Christi est tota, non tamen habet rationem totius, hoc autem quod habet rationem totius, illud est subsistens. Et sicut quando gutta A & gutta B. uniuntur utraque est tota, nec habet rationem totius, ita & in præsentī.

Punctum Difficultatis 2.

De Distinctione Subsistentiæ à Naturâ.

DURANDUS & HENRICUS distinguunt subsistentiam à natura, sola ratione, ita sicut distinguitur ens & entitas. Scotista distinguunt illam ex natura rei, & per certas quasdam negationes quas duas ponunt. Primam negationem aptitudinis ad dependendum ab alio, tanquam à supposito, quam negationem quia non dicit anima separata, non est Persona. Secundò negatio quam dicit substantia, est negatio actualis dependentiæ, ab alio supposito, quam negationem, quia non dicit humanitas Christi, fit, ut non habeat propriam Personam. Modaliter subsistentiam distinguunt ex nostris Suar. uterq; Valsq. Lugo Realiter simpliciter distinguunt Hurtadus & Arriaga.

I. SENTENTIA in hoc habet difficultatem, quia si subsistentia & natura ante actum nostri intellectus non distinguantur. Ergo nemine cogitante, quidquid competit uni, competit & alteri, aliàs si non competeret, ergo ratione illius non competentis, idq; nemine cogitante, aliteratem habent adeoq; distinctionem. Porro nemine cogitante competit naturæ assumi à verbo, ergo & personæ competit assumi, cuius oppositum fides docet.

II. SENTENTIA in quantum recurrit ad distinctionem ex natura rei, alias jam refutata manet, in quantum autem recurrit ad negationes non satisfacit. Tum quia huius negationis talis, debet ostendi aliquod positivum fundamentum, & hoc potius salvabit rationem Personæ. Si enim illi negationem divisionis in plura, dicunt fundari in aliquo positivo, consequenter etiam hic

idem

idem dicere debent. Proceat ergo ratio a pari in illorum principiis. Tum quia si negationes illæ, faciendo substantiam differre tantum ex natura rei, à naturâ, nihilominus hoc præstant ut communicetur natura humana non communicata substantia humana, saluat hæc sententia in creatis contradictoria communicari & non communicari, quod est invehere mysterium Trinitatis in creata, de quo argumento aliàs. Tum quia hæc negationes supponunt id de quo quæritur: supponunt enim negationem aptitudinis uniri alteri tanquã supposito, de quo ipso formalissimè quæritur, quid tandem & quomodo distincti sit?

III. SENTENTIA impugnari ordinariè solet quod non sint multiplicanda entia sine necessitate, nulla autem necessitas modalis vel realis distinctionis inter naturam & substantiam. Inter has sententias mediam viam ineundo.

DICENDUM I. *Substantiam secundum id quod dicit in se non distinguì nemine cogitante à natura.*

PROBATUR I. Variis auctoritatibus quas lege apud Tiphaniū opusc. de subst. & apud Petav. tom. II. dogm. Theolog. lib. 2. &c.

I. AUCTORITAS est negativa, quia Patres disputantes cum Nestorianis & Eutychianis, nunquam leguntur meminisse superadditæ entitative Personæ. Et licet ordinariè auctoritates negativæ, patrum convincunt, tunc tamen convincunt, quando aliquid non est dictum à Patribus, & tamen locus erat proprius dicendi, & quando procedunt dogmatizando in illo genere. In his enim defuisset illis specialis illuminatio, si hoc non terigissent: quod præsumi de DEO non debet. Hæc autem concurrunt in præsentia.

II. AUCTORITAS. Quia nunquam fuit negata à PP. hæc propositio. Persona est individua & completæ naturæ rationalis substantia cum proprietatibus, falsa autem est hæc propositio apud oppositos, cum substantia non sit ipsa substantia, sed superadditum substantiæ. Quod autem propositionem illam non negarint PP, inde colligitur, quia Acephalus quærebat ex Rustico Diacono ut haberetur Tom. 6. Bibl. novæ PP, quid haberet minus natura Christi præ Personis humanis? non respondit Rusticus non habet entitatem superadditam, sed respondit nihil habet minus, sed tantum ex hoc quod sit unita, ex hoc quod habeat rationem partis in Christo, non esse perfectam.

III. AUCTORITAS. Hypostasis præ Hypostatico dicit aliquam entitatem, nomine autem hypostatici, venit natura, & tamen per PP. hypostasis præ hypostatico non dicit aliquam entitatem. Ita B. Theodor. Tom. novæ Bibl. 9. *Est aliquid, inquit, quod dicitur hypostaticum, & aliquid quod dicitur hypostasis, & est commune utriq, componi ex natura & proprietatibus, differunt tamen, quia hypostaticum est pars alicujus, hypostasis autem, non est pars.* Similia habet S. Maximus in Epist. ad Georgium.

IV. AUCTORITAS. Falsa est per oppositos hæc propositio, quod nemine cogitante non sit distincta Persona à substantia, vera autem per PP. Unde Maxim. Martyr. in Dial. X. contra Anomæos ut scribit Demetrius Cydonis in libro de processione Spiritus S. concessit dictam propositionem. Cum enim Anomæus dixisset inquit Demetrius aliud est substantia, aliud hypostasis, S. Maximus respondit, aliud & aliud, sed non ut res, illo verò obiciente, igitur fiet compositio. Sanctus occurrit, aliud & aliud dixi non ut rem, sed ita ut aliud significet substantia aliud hypostasis, sicut granum frumenti dicitur & est semen & fructus.

V. AUCTORITAS EST. Hypostasis ad naturam per oppositos non habet se per modum particularis ad commune & per modum speciei ad Genus, hæc enim non distinguuntur, realiter nemine cogitante, sed per Patres ita se habet hypostasis ad naturam quod probatur. Basil. Ep. ad Greg. Nisi. & Epist. 149. *quæ est, inquit, ratio communis ad proprium, eandem habet vsia ad hypostasis.* Et infra Epist. 191. idem repetit. Idem habet Cyrill. Alexand. dial. 1. de Trinit. Theodor. dial. 1. contra hæreticos. *Secundum, inquit, doctrinam Patrum quam habet differentiam a proprio commune, vel genus à specie & individuo, eam habet vsia ab hypostasi.* Author libri de definitionibus qui adscribi solet Athanasio eadem repetit: *vsia, inquit, genus, natura, forma, una res est, persona verò, character, hypostasis, individuum, proprium, etiam ipsa sunt unum.* S. Damasc. lib. 3. c. 6. *Commune est substantia, ut species, particulare verò hypostasis: particulare verò dicitur, non quod aliquam partem habeat naturæ, aliam non habeat, sed parit ulare numero, tanquam individuum.*

Quod attinet auctoritates S. Thomæ.

I. EST. Falsa est hæc propositio apud oppositos, quod deesse Personam Christo, non sit deesse perfectionem aliquam naturæ, unde enim excogitabiliter argui potest, quod aliquid sit perfectio, inde inferetur, etiam subsistere, esse perfectionem. Per S. autem Thomam vera est hæc propositio, ergo apparet S. Thomæ non esse pro illis. Minor probatur ex 3. parte q. 4. Artic. 2. ad 2. *Dicendum, inquit, quod natura assumpta non desit propria personalitas, ob defectum alicujus quod ad perfectionem naturæ humanæ pertineat, sed per additionem alicujus, quod est super naturam humanam, quod est unio, ad Divinam Personam.*

RESPONDEBIS non deesse quidquam perfectionis naturæ qua natura est, deesse tamen perfectionem, qua subsistens est.

CONTRA. Quia si sensisset aliquid reale abesse, dum abest Persona, non dixisset quod hoc fiat per additionem alicujus, sed dixisset, quod fiat deperditione alicujus, quia non habere personam per oppositos formaliter, sit per negationem alicujus entitatis.

II. AUCTORITAS EST. Falsa est per oppositos

positos hæc propositio; quod si dimitteretur humanitas à Verbo, hoc ipso fore personatum, vera autem est per S. Thomam, ergò apparet oppositos non idem cum S. Thoma sentire. Minor probatur ex quæstion. de Unione VERBI, & in compend. Theolog. c. xii.

PROBATUR II. Ratione Theologica. Quia si concederetur subsistentia distincta à natura, non posset commode & ad mentem Patrum explicari mysterium Incarnationis. Quod ipsum probatur. Quia carentia Personæ humanæ in Christo vel poterat non esse, vel non poterat non esse, si primum. Ergò contra Nestorium non procedunt efficaciter argumenta Patrum, quæ supponunt ordinariè, non posse assumi Personam humanam cum natura, si secundum contra erit, quia sequeretur repugnare DEO aliquid creatum contra August. lib. 12. de Civit. c. 2. lib. de fide & Symb. c. 4. Contra Maximum opusc. ad Marinum discip. *Nihil enim naturalium, inquit, sicut & ipsa prorsus natura, auctori naturæ unquam repugnat, etsi aliquid creatum dicit positivam contrarietatem ad assumi, dicent Monotelitæ, non potuisse assumi voluntatem humanam, locosq; Scripturæ, dicent non posse simpliciter accipi, quia repugnat voluntatem assumi.*

PROBATUR III. Argumento negativo, quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate, nulla autem necessitas ponendæ subsistentiæ, quæ secundum id quod dicit in recto distinguatur à substantia. Si enim esset aliqua necessitas hæc esset, quia Christus assumpsit naturam humanam & non assumpsit subsistentiam, sed hoc totum salvari potest, sine distinctione entitativa subsistentiæ à naturâ, secundum id quod dicit in recto, salvandoq; subsistentiam per hoc, quod sit natura, habens se per modum totius. Quod ipsum probatur. Una gutta sola, additione ad aliam guttam, & sine productione ullius entitatis positivæ, amittit rationem totius, triangulus definit esse triangulus sola additione novi anguli, litera definit esse litera & incipit esse Syllaba sola additione literæ sine deperditione ullius positivi. Formæ totales, ossis, nervi, &c. desinunt esse totales, sola additione formæ viventis in sententia, tenentium formas partiales, ratio unitis, exclusiva alterius, amittitur additione alterius, sine ulla deperditione. Quod ipsum in hoc universaliter resolvitur. Quia potest abesse ratio totius sine ulla deperditione alicujus entitativi.

CONFIRMATUR. Contra eos qui eam distinguunt modaliter, effectumq; illius formalem, ponunt existeri per se, non in alio. Non producat DEUS entitatem superadditam Personæ v.g. humanæ, & non uniat illam cum ullo alio, hoc enim non repugnat, quaro vel erit in alio vel non erit, si erit in alio, ergò supponetur unita, cum supponatur non unita, si non erit in alio. Ergò habebit effectum formalem non essendi in alio, qui est effectus formalis subsistentiæ sine subsistentia,

DICENDUM II. Ratione connotati nemine cogitante distinctam esse subsistentiam à natura non subsistente.

PROBATUR. Quia subsistens nemine cogitante, importat connotatum: habentis se per modum totius, & natura non subsistens, dicit negationem hujus connotati, ergò ratione hujus connotati, nemine cogitante distinguuntur. Consequenter & ipsa subsistentia distinguetur nemine cogitante ratione connotati à natura, quia subsistentia ut probatur, importat rationem totius, non importat præcisè naturam, subsistentia fundat esse nonnisi in se & non in alio, quod non fundat se sola natura.

DICENDUM III. Quoniam vis ex phrasibus PP. non colligatur distinctio entitativa subsistentiæ ut videre erit in solutione objectionum, planior tamen est modus defendendi illam esse distinctam entitativè.

PROBATUR I. Quia planius cognoscitur separatio entis ab ente quàm separatio nonnisi connotativa.

PROBATUR II. Quia posita distinctione entitativa subsistentiæ à natura, planius salvatur hoc principium, quomodo sint actiones suppositorum.

PROBATUR III. Quia planius salvatur, quomodo à Persona VERBI infinitantur & dignificantur, actiones, constituanturq; unum per se fundativum communicationis Idiomatum. Quia tamen maxima est difficultas de prima & secunda conclusionem, illa præmunenda erit solutione objectionum.

Punctum Difficultatis 3.

Solvuntur Objectiones.

OBJICIT I. LUGO. Christus assumpsit naturam humanam, & non assumpsit Personam. Ergò persona addit aliquid positivum supra naturam humanam.

RESPONDETUR. dist. conseq. Ergò Persona addit aliquid positivum ratione connotati Conced. ratione ejus quod dicit pro subjecto & in recto. Nego Conseq.

INSTAT I. Hujus propositionis definita à Conciliis: Verbum non assumpsit Personam humanam sed naturam, hujus inquam propositionis sensus esset, natura humana assumpta à Verbo, non mansit per se existens sine unione ad Verbum, quòd adeò clarum est, ut esset ridiculum & indignum omnino, quod ab Ecclesia universalis ut fidei dogma definiretur.

RESPONDETUR. Retorquendo argumentum quòd per Lugo reddantur ridiculæ definitiones Patrum, quia per illum dictæ propositionis hic foret sensus. Verbum assumpsit solam naturam humanam, & non assumpsit entitatem superadditam naturæ seu quæ non est natura humana, quod si ridiculum non est, nec prius ridiculum

lum erit. Rursus dictæ propositionis hic foret sensus. Verbum assumpsit naturam, quæ non mansit per se existens. Quis autem dubitat quod si assumpta unita; est, non mansit per se in se & independentem ab existendo in alio.

CATEGORICE AD ARGUMENTUM. Duplex potest cogitari unio inter naturam humanam & Verbum, una merè accidentaria, quæ sita sit in excellentia quadam gratiæ, cum quadam communicatione dignitatis, potestatis, retenta tamen tota ratione essendi in se ut explicat S. Th. 3. p. q. 2. ar. 6. Et talem admittebat Nestorius ut habetur in Concil. 1. Anthematismo 4. Ubi dicit Concilium: Unionem naturarum duarum in sententiâ Nestoris, fuisse secundum gratiam vel secundum operationem, vel secundum dignitatem, vel secundum æqualitatem honoris, vel secundum auctoritatem vel relationem, aut affectum, aut virtutem, vel secundum bonam voluntatem. Quando autem volebat Nestor, secundum relationem factam esse unionem in Christo, per relationem non intelligit dialecticam relationem, sed intelligit rejectionem in alium ut ad auctorem vel participem, ad eum modum, quo Moyses populo murmuranti dixit: non contra nos est murmur vestrum sed contra Dominum. Hunc fuisse sensum Nestorii testatur, Cyrill. dial. de uno Christo. Quando item dicit factam esse unionem secundum operationem, hoc solum vult, quod Christus fuerit instrumentum Divinitatis, quæ conjunctio, nullam substantialem unionem importat. Colligitur hic sensus Nestorii ex Gregor. Nazianz. Orat. 1. ad Cledonium. Immo docetur factam esse unionem in Christo etiam secundum Personam ut habetur apud Cyrill. lib. de recta fide, ubi ex sententiâ Nestorii dicit Christum hominem fuisse communem, ex muliere natum, qui per incrementum perq; propriam & humanam entitatem, honore se dignum præstitit personali cum divino Verbo consociatione. Idem docet de Nestorianis Cyrillus Epist. 2. ad Nestor. Joan. Damascen. 3. de fide quæ illius doctrina ita intelligenda est, quod voluerit unionem factam duarum personarum, vel quod dixerit Personam Christi substituerit pro se DEUS, ut in Dialogo, sustinet aliquis personam Regis, ita Christus habebat personam DEI vide Petav. de Incarn. l. 3. c. 7. n. 15. Ex quibus dictis in illa propositione Verbum assumpsit non Personam humanam sed naturam nihil erit superabundans, nec facit sensum ridiculum. Sed hunc quod ita assumpsit naturam humanam, ut nulla intercesserit Personarum unio, qualem adstruebat Nestorius. Item, ita assumpsit naturam humanam, ut non fuerit assumptio illa accidentalis, sed per exclusionem Personæ, cujus retentio facit semper unionem accidentalem. Et hæc de prima unione. Ad secundam quod attinet alia est unio substantialis, quam sequitur, ut per se non existat natura humana. Et hanc unionem ut declararet Concilium, præter assum-

ptionem naturæ, exprimit etiam non assumptionem Personæ. Quia verò dicta objectio, non tam nostram sententiam tangit, quam explicantium substantiam per negationem unionis, requirenti sensum dicti axiomatis ex nostris principiis hoc responderi potest. Natura humana assumpta non habet rationem totius in Verbo, quia illi substantialiter unitur.

INSTAT II. IDEM. Quia si præcisè ex eo natura humana amittit propriam Personalitatem, quia unitur Verbo, ergo etiam Verbum eo ipso quod uniatur humanitati amittit propriam Personalitatem.

RESPONDETUR. I. à Pontio. Sicut si uniretur Persona humana, hoc ipso deberet manere Persona humana, sic quia humanitati unitur Persona divina, hoc ipso debet manere Persona divina. *Hæc Responsio.*

NON SATISFACIT, quia reducit ad impossibile argumentum, nempe & mansuram Personam divinam utpote quæ uniretur, & non mansuram quia modus perdendæ substantiæ, est unio, quæ etiam gaudet Verbum. *Hinc aliter.*

RESPONDETUR. II. Hanc ipsam objectionem opposuisse sibi Maxentium Dial. 2. contra Nestorianos tom. 4. Bibl. PP. Col. 4. 7. 8. ut est apud Petavium lib. 3. de Incarn. c. 15. n. 7. *Omne compositum, inquit Nestoriani, partibus constare, partem autem minus esse, quàm totum. Ac proinde si DEVS Verbum pars est Christi, quem ex humanitate & divinitate compositum, asserebant Catholici, DEVM Verbum partem esse Christi & minorem Christo, quod si pars Christi DEVS est, quomodo DEVS, si imperfectus est?* Respondet Maxentius & cum eo nos, non esse imperfectum DEVM quia non ut perficeretur assumptione actus indiguit, sed ut caro perficeretur: quasi diceret, non ex eo præcisè quia res unitur, amittit personalitatem, aliàs sequeretur intentum, scilicet etiam Verbum unitum humanitati, amisisset propriam personam, sed amittitur persona ex vi unionis in certis prærequisitis positæ, inter quæ requisita est, perfici per unionem, quod ipsum supponit, non esse infinitum in perfectione. Hinc quia DEUS illimitatus in perfectione est, habetq; se sicut circulus, cui nihil addi, nihil demi potest, fit ut unione cum natura humana, suam totalitatem non amittat & æquè immutatus persistat. Creatura autem quia finitæ perfectionis est, habetq; se sicut linea, quæ augmentum vel decrementum admittit, hinc fit ut perfici possit, & non habere rationem totius. Imò hæc objectio probat sententiam nostram esse sententiam PP. Siquidem contra eam id obijciatur quod etiam contra sententiam PP. obijciatur, & aliud responderi non debet quam quod responderunt PP. Duo hic addo. In primis imaginare circulum cuicumq; ille uniatur semper est totus & habet rationem totius, hoc ipso enim, si illi aliquid addas sive demas circulus non erit, sed aliquid circuli, quia figura rotunda perfectissima est, nec aliquid illi demi vel addi potest.

potest, cum ergò DEUS sit ens perfectissimum, cui nihil demi nihil addi possit, sit ut unione illa, nec mutari nec perfici possit. Si autem imagineris lineam alicui lineæ addi, quia non est perfecta figura, demi ei & addi potest. Ita & creaturæ si uniatur alteri. Deinde id quod est immutabile & simul habet rationem totius, semper habet rationem totius. DEUS autem est immutabilis, unde ex quo principio colliges DEUM unione hypostatica non mutari, ex eodem colliges, illum habere rationem totius.

ADDUNT, ALII. Ideò natura humana per unionem cum Verbo, amittit potius rationem totius & Personæ, quia Persona est sui juris & ut loquitur Hugo de S. Victore, Richardus Bonav. dicit eminentiam dignitatis, quam quia habet potius Verbum præ natura humana, ideò potius natura humana amittit Personam. Idem habet Gregor. Naz. Orat. 22. Cyrill. Alexand. dial. de Incarn. Illustrat hoc S. Thom. in Comp. Theol. *Subiectum, inquit, & accidens non sic uniuntur, ut ex his aliquod tertium constituitur. Vnde subiectum in unione, non se habet ut pars, sed est integrum quoddam.* Rursus S. Thom. Opusc. contra Græcos & Armen. c. 6. *Principaliter, inquit, id semper habere dicitur, quod autem minus principale, haberi, ut innuit Aristot. 4. Metaph. c. 23.* Ex quibus omnibus colligitur verbum in unione non amittit propriam personalitatem, quia non habet rationem partis, non habet autem rationem partis, quia pars semper unione perficitur, Verbum autem unione illa non perficitur. Rursus semper pars haberi dicitur, Verbum autem non habetur sed habet: est enim principaliter. Rursus quia etiam in Divinis non essentia habet Patrem, sed essentiam Patrem, quia Pater habet se per modum termini, cum ergò Persona Divina habeat se per modum termini in unione hypostatica, non dicitur haberi, consequenter nec erit pars. Vide Petav. de Incarn. lib. 3. c. 14. Et quanquam Maximus Martyr apud Euth. Partes, inquit, Christi, sunt Deitas, ipsius, & humanitas ut citat Petav. citatus c. 15. disertè tamen id negat August. lib. 3. contra Maximum Arrian.

INSTAT III. IDEM. Inter duo entia omninò in actu completa, quoad totam suam entitatem positivam, non potest intercedere aliqua unio positiva præsertim substantialis. Ergò ut inter Verbum & Naturam humanam intercedat unio substantialis, debet fieri incompletio in natura humana, ergò debuit naturæ deesse aliquid substantiale.

RESPONDETUR. Dist. secundum consequens. Ergò debuit deesse aliquid substantiale entitativè distinctum nego. Saltem ratione connotati distinctum concedo, & ita naturæ humanæ unitæ cum Personâ Verbi deest ratio totius. Hanc instantiam aliter proponit Ariag. & dicit quòd nulla entitas positiva, relicta sit non assumpta à Verbo, ergò assumpta est natura omninò completa. Ad quod ex dictis responderi potest esse al-

sumptam naturam omninò completam completionem totam naturam importante, quoad prædicata essentialia, licet non sit assumpta natura completa prout dicit rationem totius.

OBJICIT II. Ariag. In natura humana Christi vel mansit verè & realiter ejus subsistentia vel non mansit. Si mansit, ergò absoluitè in Christo sunt duæ Personæ si non mansit, ergò subsistentia realiter separatur à natura.

RESPONDETUR. Communiter separari subsistentiam à natura non separatione propria sed impropria, qualis est separatio existentis hodie, à se existente cras. Conformiter autem ad dicta de connotatis aliter formatur responsio, quod separatur subsistentia à natura non ratione recti, & ejus quod dicit pro subiecto, sed ratione obliqui, & ratione connotati, quod ipsum connotatum, non est, merum nomen, sed modus habendi sese, seu ipsa totalitas quam dixisset illa natura, si unita non fuisset, & sicut non est perditio solius nominis cum gutta amittit unione ad aliam guttam, rationem totius, sic & in præsentia.

INSTAT IDEM. Vox illa totalitas significatne ex parte objecti aliquid distinctum à materiâ & forma unitis an non? Si non, ergò habuit Christus totalitatem humanam, adeoq; per nos Personam hoc autem est Nestorianum. Si verò totalitas significat aliud ex parte objecti, distinctum à materia formaq; unitis, illud dicas esse subsistentiam.

RESPONSUM. Jam vocem illam: totalitas, secundum id quod dicit in recto & pro subiecto, nihil distinctum importare à materiâ & formâ, sed importare aliquid distinctum ratione obliqui de quo actum Conclusionem secunda.

INSTAT OVIEDO. Hoc quod superaddit subsistentia naturæ, non potest sola ratione distinguui, non etiam consistit in sola negatione, ergò debet distinguui positivè.

RESPONDI, intercedere illic distinctionem positivam, ratione connotatorum.

OBJICIT III. recentior Suar. Hæretici idcirco errarunt in mysterio Incarnationis, quia inter naturam & Personam non distinxerunt ut testatur Vigilius Papa & alii.

RESPONDETUR. Nos admittere distinctionem & quidem nemine cogitante ratione connotatorum, per terminos autem PP. distinguendo. Errarunt hæretici quia non distinxerunt inter naturam & Personam tanquam inter commune & particulare, totum & partem concedo, quia non distinxerunt distinctione entitativa. Nego.

INSTAT I. IDEM. Hæc propositio. DEUS est Deitas in sensu identico vera est. Hæc verò altera: humanitas est homo, falsa est in sensu identico, ergò distinguuntur à parte rei.

RESPONDETUR. Quia nunquam Deitas potest habere rationem partis, hinc fit ut semper sit hæc propositio vera, DEUS est Deitas, quia verò humanitas potest habere rationem partis, fit,

fit, ut non sit identice vera hæc propositio; humanitas est homo. Quamquam etiam in Divinis non ubique pro eodem DEUS & Deitas sumitur. Hinc verè dicitur DEUS generat, & tamen falsum est Deitatem generare.

INSTAT II. IDEM. Quod non possit intelligi quomodo natura humana dependeat à Verbo, per solam additionem unionis hypostaticæ.

RESPONDETUR. Sicut in quacunque sententia explicabitur hæc dependentia, ita & in præsentii idem dicitur, illa enim unio trahet se cum personalitatem Verbi, virtualiter distinctam à natura Divina. Addi in hac materia solet, quod totalitas & integritas dupliciter & amitti & acquiri possit: potest amitti totalitas additione, ut sit dum una gutta additur alteri, potest etiam amitti deperditione, ut totalitas decadis deperditione v. g. unitatis, priori modo amittitur persona humana.

OBJICITUR IV. Quando aliqua sunt idem realiter, si unum illorum assumatur necessariò debet assumi & aliud, sed substantia & natura sunt idem realiter. Ergo si natura assumatur, & Persona assumetur.

RESPONDETUR. Conformiter ad dicta de relatione: distinguo minorem. Sed substantia & natura sunt idem realiter in circumstantiis in quibus natura habet rationem totius, compleri, perfecti &c. conced. extra has circumstantias neg. In idem recidit si dicas, substantiam secundum id quod dicit pro subiecto & in recto esse idem cum natura, indubiè; subiectum substantiæ humanæ assumptum est, sed secundum id quod dicit in obliquo, non est idè cum natura, connotat enim & imbibit in se rationem totius, quam non imbibit natura.

INSTAT I POTEST I. Hoc quod pro obliquo dicit ratio totius, connotata à Persona, illamque in esse formali constituens, est ne distinctum realiter à natura, vel per rationem? si realiter, habetur intentum, quia hoc erit entitas illa superaddita Personæ, si formaliter, ergò receditur à principiis aliis datis, si per rationem, ergò nemine cogitante etiam illud obliquum, & illud formale Personæ, erit assumptum.

RESPONDETUR. Illud obliquum cum sit connotativum ex duobus coalescit nempe ex subiecto & illo quod connotat: Prius illud non est distinctum realiter à natura, posterius autè non est quidè distinctum realiter simpliciter ratione entitatis, sed distinctum realiter ratione connotati. Neque enim ex opere intellectus, vel importatur à natura ratio totius, vel non importatur.

INSTAT II. Hoc quod est dicere aliquid in recto & hoc quod est dicere in obliquo non est nisi opus intellectus, quid enim rectum, quid obliquum nemine cogitante? ergò ostendere distinctionem naturæ à Persona ratione recti & obliqui non est ostendere distinctionem nemine cogitante.

RESPONDETUR. In hoc quod est rectum & obliquum duo reperiuntur. Ipsum dicere in recto & in obliquo, hocque non est nemine cogitante. Deinde est obiectum illius recti & obliqui, & hoc est nemine cogitante, & ita ratio totius, quæ in obliquo importatur, habetur nemine cogitante estque sufficienter distinctiva nemine cogitante.

Punctum Difficultatis 4.

Continuatur Solutio

OBJICITUR V. Ex doctrina hac sequitur duas esse in Christo Personas quoad entitatem, licet non sint duæ, quoad esse formale Personæ, erit quidem Persona Divina & quoad entitatem, & quoad esse formale. Persona autem humana, non est quidem in Christo quoad esse formale, quia natura humana in Christo non habet rationem totius, erit tamen in Christo persona humana quoad entitatem. Quod ipsum probatur. Entitativè Persona humana, est ipsa natura humana. Tum quia actus DEI liber est idem quoad entitatem ab æterno cum cum actu necessario v. g. actus condonationis cum amore possibile licet non sit formaliter ab æterno, sed nonnisi posito requisito dolore v. g. Tum quia etiam relatio pereunte termino dicitur manere quoad entitatem, quod si dicas esse in Christo Personam humanam quoad entitatem videberis concedere Nestorio, quod intendebat, qui certè ad istas formalitates Scholasticas non attendebat.

RESPONDETUR. Hanc objectionem pendere ab explicatione connotatorum & relationis, dixi autem alias, falsam esse hanc propositionem, ablato termino manere relationem quoad entitatem, sed manere secundum id quod dicebat pro subiecto, quod etiam in præsentii repeti debet, quod scilicet in Christo sit subiectum Personæ humanæ, sicut duabus guttis unitis, manet subiectum, quod habebat rationem totius, sublatis item terminis lineæ, additione quantitatis manet subiectum terminorum, sic etiam in præsentii. Videantur dicta de connotatis & relatione. Quorum omnium hæc ulterius ratio est, quia ea quæ duo ad sui esse requirunt, si unum absit, hoc ipso illa non sunt duo, nec habetur id, quod natum est pullulare ex illis duobus. Quia autem ratio Personæ pullulat ex duobus, ex natura, & ex habere rationem totius, cum hoc secundum desit naturæ humanæ in Christo, fit ut in illo non habeatur ratio Personæ humanæ.

INSTATIS. Formale Personæ humanæ & prout distinguitur à natura, & quod supplet Persona Divina, vel est aliquid in se substantiale vel non? si prout condistinctum à natura est aliquid substantiale, ergò prout condistinctum à natura, est aliquid entitativum adeoque entitas. Quod si illud quod formaliter supplet Persona Divina non est aliquid substantiale, Ergò unio inter

inter Naturam & Personam Verbi non est substantialis, in tantum n. unio illa est substantialis, in quantum id quod supplet, est substantiale.

RESPONDETUR. Falli imaginationem instantiæ, speculatur enim suppletionem quandam propriè dictam, quæ ratione unus Magister supplet locum alius, quæ suppletio rigorosa, non habet in præsentio locum, quia suppletio rigorosa requirit præcedentiam actualem illius, cuius vices suppletur, & requirit entitatem, in cuius locum succedat, sic primogenitus non dicitur, supplet locum alius filii, qui potuisset nasci, sicut & converso moraliter loquendo secundo genitus dicitur supplet locum primogeniti, si forte ille moriatur, cum ergo Persona creata non præcesserit increata, supplet locum illius rigorosè non debet dici. Alia est suppletio non rigorosa, sed latius sumpta, sic v.g. negationem ulterioris extensionis quam dicere potuisset semiulna, si cum ulna continuata non fuisset, supplet negatio ulterioris extensionis, quam dicit ulna, suppletio item totalitatis illius, quam una gutta habuisset, si cum altera gutta conjuncta non fuisset, suppletur per totalitatem, ex unione duarum guttarum resultantem, prior illa requirit distinctionem inter se entitativam; Posterior suppletio, non requirit. Cum ergo posterioris generis suppletio, reperitur in unione hypostatica, non erit necesse ipsam Personam quæ suppletur, ipsamque illam rationem totalitatis nature humanæ, quæ deest, est in se entitatem condistinctam. Ex quo etiam colliges, esse quidem consumptam Personam humanam à Persona Verbi, sed non consumptione propria, qualis reperitur, dum lignum ab igne consumitur, & quæ consumptio requirit distinctionem entitativam, sed consumpta est consumptione impropria, qualiter consumitur ratio totius unius guttæ ab alia gutta, cui unitur. Ulteriusque inferes, quid sit ad hoc dicendum, dum quaritur; habetne aliquid minus natura humana unita verbo, quam habuisset, si non fuisset unita? Dico enim non habere aliquid minus propriè, quam istud proprium minus habere requirit distinctionem entitativam, haberetamen aliquid minus improprie, ut deest uni guttæ ratio totius, posita unione ad aliam guttam. Esse autem hanc responsionem ad mentem PP. colligitur ex Hugone de S. Victore in Apolog. de Verbi Incarnat. *Sicut in nocte lucerna est lumen Ecclesie; accedente autem Sole lumen Ecclesie est Sol, sic accessu Personæ Divinæ ratio totius à Persona confertur.* Et tamen indubiè, nec suppletur, nec minoratur Lumen candelæ accessu luminis solaris.

OBJICITUR VI. Variæ instantiæ & paritates ex Suar. & aliis.

PRIMA PARITAS est. Non potest aliquid esse in loco, per ubi indistinctum entitativè, ergo nec subsistens per substantiam indistinctam entitativè.

RESPONDETUR. Antecedens esse falsum in nostris principiis. Disparitas etiam est, quia scilicet supponitur à non esse in loco, ad esse in loco, sufficienter transiri non posse, sine aliquo superaddito, potest autem per rationem habendi se per modum totius, sufficienter transiri, à non esse subsistentis ad esse subsistentis.

II. PARITAS. Impossibile est corpus, quod sit sua figura. Ergo.

RESPONDETUR. Impossibile esse corpus substantiale, quod sit sua figura, retenta ratione accidentis, esset enim substantia ut supponitur & non esset, quia idem esset cum accidenti. Sed non implicat corpus seipso extensum sicut tenuit Arriaga. Disparitas etiam est in nostris principiis. Quia corpus substantiale esse sibi figuræ, est substantiæ identificari accidentis, quod non sequitur, si substantia non distinguatur entitativè à Natura.

III. PARITAS. Implicat effectum per actionem indistinctam produci.

RESPONDETUR. Falsum esse antecedens universaliter: Verbum enim mentis non producit per actionem distinctam. Cur autem alii effectus non possint produci nisi distincta saltem secundum connotatum actione, petatur ex alibi dictis. Disparitas autem eadem redditur, quæ primæ paritati, mutatis terminis.

IV. PARITAS. Implicat qualitas gradus intensiois identificans sibi. Ergo.

RESPONDETUR. Intensio ejusdem speciei cum nostrate, implicat nisi per gradus distinctos, quia definitur per additionem gradus ad gradum, non definitur autem per esse condistinctum substantia, alia tamen specie intensio, potest esse, sine graduum distinctione.

V. PARITAS. Implicat substantia, operans, actione à se indistincta. Ergo.

RESPONDETUR. Anima producit Verbum actione à se indistincta. Quod si procedat de operationibus quibuscunque indistinctis, recurri debet vel ad transitu à non esse operantis ad esse operantis, qui non potest salvari sine actione distincta; transitus autem à non esse subsistentis ad esse subsistentis, sine superaddita Entitate, operationes allatas haberi potest, vel recurri debet ad hoc quod si daretur substantia operans actione à se indistincta, tunc substantia illa in genere agendi esset actus purus, cum tamen hoc prædicatum sit convertibile cum Deitate, hoc autem non sequitur, si habeat substantiam indistinctam entitativè humana Natura.

VI. PARITAS. Amici Disp. I. de Incarn. Sect. 2. ubi dicit, inhaerentia quæ est positivum complementum accidentis, distinguitur modaliter. Ergo & substantia.

RESPOND. Si nomine inhaerentiæ unio actualis accidentis, cum subiecto intelligatur, verum est Antecedens, sed non tenet consequentia, quia à non esse uniti ad esse uniti, non potest transiri sine mutatione, quæ sit aliquid superad-

†Q

ditum

dictum entitativè, à non esse autem subsistentis ad esse subsistentis, sufficienter transitur, solà importatione totius. Si autem nomine inhærentiæ intelligatur inhærentia aptitudinalis & constitutiva accidentis, quæ reperitur etiam in quantitate Eucharistica, hæc non est superaddita, unde per nos argumentatio exinde sumitur ad non superaddendam subsistentiam. Si enim inhærentia innexa Accidenti, non est quid superadditum, entitativè, nec subsistentia erit superaddita entitativè.

VII. PARITAS. Persona increata consistit in aliquo positivo superaddito naturæ, ergo & creata, cum personalitates creatæ, sint imitationes increatarum.

RESPONDETUR. Hoc argumentum est pro nobis, quia sicut personalitates increatæ, sunt quidem quid positivum, non tamen entitativè superadditum, sic nec nostræ erunt. Quod autem non sint nostræ subsistentiæ virtualiter intrinsece distinctæ, peti debet ex eo: quia non datur virtualis distinctio in creatis. Aliàs etiam idem argumentum non concludit, quia ex præciso titulo imitationis entis increati, nihil determinatè concludi potest. Ratio, quia illa imitatio stabit in solà participatione perfectionum divinarum, suo modo, quæ participatio cum non sit determinata, & aliter aliterque haberi possit, nihil ex ea inferitur. Et certè non implicabit contradictionem personalitas creata participans de increata, sed secluso prædicato ratitudinis, sic enim imitabitur Divinam in formalitate inseparabilitatis saltem ad permanentiam; cum subsistentia Divina gaudeat inseparabilitate omnimoda, & sicut res ipsæ sunt imitationes Deitatis, itemque modalitates & similia; ita salva imitatione, potest esse etiam subsistentia modalitas. Posset etiam dari subsistentia creata, imitans divinam in Ratitudine; Subsistentiæ enim divinæ distinguuntur inter se realiter: En jam secundam imitationem subsistentiæ divinæ. Erit autem tertia imitatio, si ponamus indistinctam entitativè à naturā, cum etiam personæ divinæ sint eadem, cum natura divina realitas. Idem alia instantia illustrari potest. Noscitivitas creata est participatio noscivitatis increatæ, neque tamen inde determinatè inferri potest, quod sit noscitivitas non nisi spiritalis & intellectualis, cum noscitivitas etiam sensitiva, suo modo sit imitatio noscivitatis Divinæ. Ergo nec ex imitatione subsistentiæ divinæ, inferri determinatè potest, quod illam non nisi rata subsistentia imitetur, cum adhuc etiam modalis illam imitaretur, imitaturque indistincta entitativè.

OBJICIT VII. Amicus. Implicat formam quæ est eadem cum subiecto, non conferre illi suum effectum formalem, sed in nostra sententia creata personalitas est idem cum natura. Ergo.

RESPONDETUR. Inprimis retorquendo argumentum de continuatione duarum guttarum. In forma itidem jam supra respondi, Personam & Naturam in circumstantiis, in quibus dicitationem totius, esse idem cum Persona, tribuereque hunc suum effectum formalem; non esse tamen idem extra has circumstantias, consequenter nec extra illas, tribuere hunc effectum formalem.

INSTAT IDEM. In nostra sententia non potest salvari, quomodo B. Virgo genuerit DEUM, quod ipsum probat, quia in nostra sententia prius natura genuit humanitatem, quam fuerit unita Verbo; Ergo non potuit in illo priori gignere DEUM, quod ipsum probat. Quia in eo signo, humanitas fuit unita Verbo; in quo apta erat personari propriā personalitate, sed non fuit in nostra sententia apta personari propriā personalitate, nisi post naturalem unionem partium inter se, atque adeo post causalitatem, qua humanitas fuit à beatā Virgine genita, cum tamen in sententiis aliis prius natura fuerit unio cum Verbo, quam partium inter se.

RESPONDETUR. Generationem non secundum prioritatem naturæ & rationis spectandam esse, sed secundum physicum esse, sicut & ipsa est quid physicum, independens à nostris conceptibus. Unde sufficit, quod pro eodem instanti reali, pro quo partes humanitatis uniebantur, terminaretur jam illa humanitas Verbo, pro illo instanti physico, ratione cuius, pro illo instanti physico, verum erat dicere: terminari humanitatem, Verbo, adeoque hoc quod generatur, terminatum est à Verbo, adeoque DEUM generari. Imò in nostra sententiā melius salvatur, quomodo DEUM genuerit; siquidem in ipso instanti unionis, quo generabat, illud genitum fiebat DEUS, non verò supponebatur DEUS. Ad do dubitare Arria an prius unita fuerit persona Verbi animæ. Corpori quam fuerint unita inter se, quod si, factum est, dicit DEUM invertisse in hoc naturæ ordinem, præcipuè cum ad Personam Verbi tam non habuerint proportionem illæ unitæ partes quam non unitæ, quamvis quia verbum voluit utramque partem etiam in triduo mortis terminare, idè immediate utramque terminavit. Sed de hoc recenset dicta in Materia de Incarn.

OBJICITUR VIII. Supponamus, Positam esse unionem Verbi v. g. cum sola anima, & non cum corpore, informato ab illa anima, eo casu subsisteret anima duplici subsistentia, nempe verbi cui unitur, & subsistentia totius compositi creata. Si enim non subsisteret subsistentia totius quod componit, ergo neque corpus habebit tunc ullam subsistentiam.

RESPONDETUR. Cum per nos subsistentia sit ipsa natura habens rationem totius, eo casu anima non terminabitur persona creata, quia totum illud quod constituit anima cum corpore

pore non habebit rationem totius, quia ad hoc ut habeat rationem totius, nulla sui parte debet uniri alteri, quod ipsum probatur, quia cum totum non aliud sit nisi ipsae partes, si aliqua sui pars non sit in se, sed in alio, hoc ipso totum illud ratione partis alteri unitae, non habebit rationem totius, consequenter nec rationem personae.

Punctum Difficultatis 5.

Respondetur ad rationes Recentiorum.

OBJICITUR I. à Martinon auctoritas S. Th. quia S. Th. 1. parte q. 75. ar. 2. docet, animam rationalem dum est in corpore, subsistere, & tamen est tunc pars.

RESPONDETUR. Per auctoritatem ipsius S. Th. ead. quest. & 4. ad 2. ubi dicit, non quilibet substantia particularis est hypostasis vel persona, sed quae habet completam naturam speciei. Unde manus vel pes non potest dici hypostasis vel Persona & similiter nec anima, cum sit pars speciei humanae. Loco autem quem Martinon citat, non aliud vult, quam quod subsistat substantia totius, quod nos admittimus, seu sit pars subsistentis.

OBJICITUR II. Quia haec sententia non plus dicit quam Scotistica, quia deperditio totalitatis, non est deperditio alicujus positivi, sed tantum negativi, quia esse totum dicit habere omnia, & nihil amplius habere quorum primum, remanet in humanitate.

RESPONDETUR. Distingui nostram sententiam à Scotistica, quia non recurrimus ad duplicem negationem, quia negationem unionis dicimus esse, quid posterius ipsa ratione totius, adeoque hanc negationem infundari illi positivo, & licet deperditio totalitatis, non sit deperditio alicujus positivi, h. e. positivè, entitativè distincti, est tamen deperditio alicujus positivi, h. e. ejus connotati, quod non primo per se dicit negationem, dicitque illud Nihil amplius habere, tanquam rationem subsequenter & infundatam negationem subsequenter & infundatam negationem illi positivo, quod est habere rationem totius, quae secundum objectivum esse, est aliquid positivum, & sequentium negationum fundamentum, licet tanquam per aliquod notius, per illas negationes explicetur.

OBJICITUR III. Quia in nostris principiis sequitur in Christo, non esse Personam Divinam. Quia in Christo Verbum non est totum id, quod est Christus, item manifestum est, quid quid componit aliquid cum altero per modum entitatis realiter ab illo distinctae, esse partem compositi. Jam autem à PP. dicitur componere Verbum cum humanitate Christum.

RESPONDETUR. Verum quidem est Ver-

bum non esse totum id quod est Christus, sed nego ratione VERBI non haberi rationem totius in Christo, adeoque personae; quas duas propositiones esse distinguendas alibi diximus. Et quamvis intercedat unio seu compositio, inter humanitatem & Verbum; non sequitur esse Verbum partem, ut dictum supra, sed ad salvandam formalitatem compositionis, sequitur non nisi unum esse partem & aliud terminum, quod si non habet rationem partis, hoc ipso non amittit rationem personae. Quando autem PP. dicunt, quod Verbum cum humanitate componat Christum; non volunt significare ut supra dictum, quod Verbum habeat rationem partis; sed solum sentiunt intervenire illic unionem, quae non est necesse, ut sit inter partes & partes formaliter; sed potest esse inter partem & terminum.

OBJICITUR IV. Ex vi hujus explanationis, sequitur in Deo non esse tres Personas, sed unam, nam essentia Divina est infinita simpliciter, nec fit perfectior additione proprietatum personalium; nam infinitum in perfectione accessu cujusque perfectionis, non crescit. Et sicut Filius & Spiritus S. non sunt quid perfectius quam Pater, ita nec illorum proprietates ut docet Th. 1. par. q. 42. ar. 4. ad 3. ergo illae perfectiones nihil addunt perfectionis essentiae, ergo essentia est tota, & retinet suam totalitatem, non obstante adventu proprietatum; praecipue verò, quia nos supponimus, Personam Verbi non esse partem, quia non acquisivit perfectionem in Christo.

RESPONDETUR. Negando Sequelam. Et licet essentia Divina sit infinita simpliciter in perfectionibus absolutis; se ipsa tamen, non habet perfectiones relativas, illarumque accessu non perficitur in ratione absoluta, perficitur in relativis. Per hoc tamen non crescit proprie; quia incrementum fit ratione ejus additae perfectionis, quae eminenter non continetur; Continentur autem eminenter, perfectiones relativae in essentia, quae ex sui fecunditate, communicabilis est interventu processionum. Et licet Divina essentia sit se ipsa tota, retinetque suam totalitatem se ipsa, tamen non habet rationem totius, cum dicat adhuc rationem terminabilis ab originibus, adeoque nec dicit se ipsa rationem subsistentis, cumque sit terminabilis à tribus subsistentiis, iisque de facto terminetur; sit ut non sit una, sed tres personae, quia sunt tres, habentes rationem totius. Et licet natura Divina, comparata ad subsistentiam Patris v. g. non habeat rationem partis, hoc enim imperfectionem importat, nihilominus licet sit tota, non habet rationem totius, quia habet rationem ulterius communicabilis tribus personis.

OBJICITUR V. In Divinis nomina concreta substantiva non multiplicantur, nec esseruntur in numero plurali, nisi multiplicetur

† Q 2

forma

forma per illa directè significata; ergò, si persona directè significat totalitatem, & totalitas illa, re & ratione est ipsa prima substantia tota, ad huc, ut nomen Personæ multiplicetur in Divinis, necesse erit in Deo plures esse substantias totas & primas. Et cum nomine substantiæ intelligatur ipsa essentia; necesse erit esse in Deo tres essentias.

RESPONDETUR. Imprimis retorquendo argumentum & inquirendo cur multiplicatis relationibus Paternitatis, quæ sunt ipsamet entitas v. g. Petri, non multiplicetur entitas Petri. Quod si hic recurras ad connotata, idem & nos faciemus. Deinde Persona directè significat totalitatem, h. e. rationem totius, & quia hæc in tribus multiplicatur, omnes enim tres pro sua parte habent rationem totius, fit ut sint tres Personæ, sed Persona non significat totalitatem simpliciter. Nego ulterius, quod ratio totius, secundum connotata spectata, sit ipsa prima substantia tota, ut explicatum supra reperies, consequenter nec erit necesse multiplicari istam totam essentiam Divinam, sed solum multiplicabuntur rationes habendi se per modum totius, & perfecti.

OBJICITUR VI. In hac sententia, explicari non potest, quomodo faciunt unum per se, natura Divina & humana, magis quam duo liquores permixti, & quomodo possint natura Divina & humana prædicari de se invicem in concreto substantivo, imò quod Persona Divina retineat suam totalitatem, impedit potius, ne prædicari possit de natura humana in concreto substantivo, cum totum de parte prædicari nequeat.

RESPONDETUR. Unum per se tripliciter contingit, primum cum unum se habet per modum materiæ, & aliud per modum formæ substantialis; item cum duo sunt ejusdem rationis, continuanturque inter se quod contingit in homogeneis. Denique cum unum se habet per modum terminabilis substantialiter, & aliud per modum terminantis, quo tertio modo, facit unum per se, natura humana & Persona Verbi; nec se habent sicut duo liquores diversæ rationis, quia inter illos non fit unio per se, quia nec continuatio, sed sola permixtio, imò nec se habent sicut duo liquores ejusdem rationis, quia non habet ordinem perfectivi & perfectibilis. Prædicatio ad invicem fundatur in communicatione idiomatum, quæ etiam in præsentia materia tota subsistit; & licet physicum totum, de parte physica prædicari nequeat, secus totum Metaphysicum, vel habens rationem totius substantialis. Addo, quando de concreto Naturæ humanæ, quod est Homo, prædicatur Deus, Ly Homo non supponit pro Natura humana, utcumque, sed pro terminata. Cum autem persona terminans, & Deus, habeant identitatem, ideo dici poterit, Homo est Deus.

OBJICITUR VII. Ex vi nostrorum principiorum sequitur, non implicare, ut naturæ Divinæ immediatè uniatur natura humana, & non alicui personalitati. Sequel. videtur inconveniens.

RESPONDETUR. Si res sit de unione per quam non constituatur unum per se, vera est sequela. Si autem res sit de unione per quam constituatur unum per se, falsa est propter hanc rationem, quia & constitueretur tunc unum per se ut supponitur, & non constitueretur, quia unum per se, ad hæc tria revocatur, ad unum per se compositi physici ex actu substantiali & materia, talique perfectione unitum illud non gauderet, nam nec natura humana, est materia, nec forma, Deitas. Aliud est unum per se continuabile, quæ unitas stat in hoc, ut extrema duorum sint idem. Natura autem Divina non habet extrema, & si haberet, non essent idem cum creatura. Tertium est unum per se terminabile & terminativum, suppositibile & suppositum, quia ergò natura Divina seclusis personalitatibus, non habet rationem suppositi, nec uniri per se potest. Fundatur hoc ulterius in hoc principio, quia sine incompletionem substantiali, non potest salvari unitas per se substantialis, quia ergò natura humana, & natura divina in ratione naturæ sunt completæ, fit ut ex illis non possit resultare unum per se.

DIFFICULTAS II.

*De Subiecto, Causarivitate, & Effectu
formali Subsistentiæ.*

QUÆRES I. Quid sit sentiendum de Subiecto Subsistentiæ?

ASSER. O I. Non dari partiales Subsistentias. De hoc latè Lugo de Incarn. Disp. 12. S. 4. Arriag. hic Disp. 4. S. 9. Ovid. Cont. 8. p. 4. Ratio. Tum quia S. Thom. in 3. Dist. 5. q. 34. ad 3. & alibi dicit, rationem partis contrariari Personæ, idemque clarè docet in prima parte loco citato. Tum quia cum parti quæ tali, non competat habere rationem totius, hoc ipso quæ tali non competet esse Personam. Tum quia præter has partiales subsistentias, esset necesse comminisci aliquam tertiam totalem, per modum unius se habentem, quod est multiplicare entia sine necessitate.

DIC. E. I. Verbum unitum fuit animæ in statu separationis, itemque corpori, nam quod semel verbum assumpsit, nunquam dimisit, ergò apparet utrumque separatum, esse capax subsistentiæ: nam ei tantum uniri potuit Verbum, quod erat capax subsistentiæ propriæ.

RESPONDETUR. Certum esse in omni sententia, Verbum unitum corpori non tribuisse illi rationem Personæ; quia ex communi phrasi, ratio personæ, non nisi substantiæ rationali con-

venit,

venit, hoc tamen non impedit quominus Verbum fuerit unum corpori post separationem. Unde etiam Amic. Disp. 2. de Incarn. Sect. 3. n. 33. quamvis teneat partiales subsistentias, negat sanguinem dici potuisse DEUM in triduo mortis nec animam rationalem. Hoc posito in variis sententiis solvitur hoc argumentum, Admisso enim quod detur forma cadaverea, aut formæ partiales substantiales, quæ tunc habeant rationem totalium, poterit tunc habere corpus rationem totius, adeoque rationem subsistentis. De anima etiam rationali dici possit, quod in statu separationis, sicut acquirit novum statum, novum operandi modum, ita etiam acquirat, quod ita sit totum quoddam hic & nunc capax subsistentiæ. Casu autem quo materia omni forma careret, adhuc in illo statu depurationis, posset habere subsistentiam, quia adhuc tunc acquireret novum modum essendi, adeoque rationem integri. Eset & alius modus occurrendi huic difficultati, disting. Consequens. Ergo apparet utrumque separatum esse capax subsistentiæ, hoc est, unionis ad subsistentiam. Conced. capax denominationis subsistentiæ, & extractionis ab esse incompleti. Nego, Quod ut intelligatur, dico aliud esse formam uniri, & aliud formam, extrahere id, cui unitur, ad suum modum essendi; sic v. g. uniri potest divinitus albedo, vel anima sensitiva Angelo, non potest tamen extrahere Angelum ad rationem sensitivi, eodemque planè modo, partes illæ separatae, sunt capaces supernaturaliter unionis ad subsistentiam, non sunt tamen capaces, ut per Personam Divinam, stante separatione extrahantur ad esse completi, stantis per se &c. cum essentialiter dicant rationem incompleti substantialiter, ordinati ad illud, tanquam partem, potentisque stare in alio h. e. in composito. Quod si per unionem illam cum persona, non potest v. g. anima extrahi ad rationem, completi, totius, integri, nec poterit dici esse Persona, eo quod hæc denominatio fundetur supra esse totale & non supra partem, hinc parti, unitur quidem Persona Divina, sed non tribuit rationem totius; & licet uniatur Persona & subsistentia Divina ad supplendum specialem & propriam subsistentiam creatam, non est tamen necesse, ut substituatur speciali subsistentiæ, pro semper habendæ, sed sufficit ut substituatur subsistentiæ, tunc cum ens est substantialiter completum in ratione substantiæ, præcipue cum in ipso statu separationis animæ Petri, nulla sit, in sententia probabili S. Thomæ supra citati, subsistentia partialis naturalis.

INSTABIS. Saltem erunt partes separatae capaces subsistentiæ, quæ illis non tribuat rationem totius & completi.

RESPONDETUR. Attendendo ad secundam responsionem, partes separatae, non erunt na-

turaliter capaces partialium subsistentiarum, quia earum naturaliter ens capax est formarum, quæ subiectum cui uniuntur, extrahere possunt ad modum suum essendi, & sicut naturaliter Angelus, non est capax albedinis, quia non extrahitur ad esse Albi, ita & præsentis, quia partes etiam separatae, non possunt extrahi ad rationem totius, nec erunt capaces naturaliter subsistentiæ. Quod si hæc illis capacitas tribuatur, erit capacitas non ad denominare, sed ad uniri.

DICES 2. Partes creantur, quæ creantur subsistunt. Ergo.

RESPONDETUR. Hoc argumentum in omni sententia solvendum esse, si enim subsistentia sit modalitas, vel realitas distincta, potest aliquid DEUS creare, quin subsistat, si autem subsistentia sit indistincta entitativè, secunda propositio hunc non nisi sensum faciet, quod quæ creantur subsistunt, latius loquendo, h. e. ponantur pro statu existendi.

DICES 3. Materia & forma etiam in statu separationis sunt substantiæ, ergo per se stantes.

RESPONDETUR. Sunt per se stantes per se stantiæ exclusivè inhærentiæ, sed non per se stantes perfecti stantiæ ultimi complementi, quod accipit cum limitatione supra allata.

ASSERO 2. Non esse possibilem substantiam completam, non tamen subsistentem.

RATIO. Quia & subsisteret & non subsisteret, non subsisteret quidem ut supponitur, subsisteret autem, quia non haberet rationem partis, utpote completa, ergo haberet rationem totius, adeoque subsistentis.

ASSERO 3. Accidens non potest esse subiectum subsistentiæ.

RATIO. Quia per nos subsistentia est in re, ipsa met natura substantialis, accidens autem non est natura substantialis, cumque per locum intrinsecum, substantia sit complementum substantiale, adeoque substantiæ, quomodo competet accidenti. Potest nihilominus hic esse quæstio de voce, si comminiscaris aliquam subsistentiam accidentalem.

DICES. Potest compleri natura creata per subsistentiam increatam, ergo compleri potest & accidens, quia magis distat natura creata à Persona increata, quam accidens à subsistentia.

RESPONDETUR. Majorem hanc distantiam esse in ratione entis, non in ratione terminabilis. Quando autem dicuntur accidentia in Eucharistia per se existere, Ly per se, significat, quod dicant rationem non subsistentis in subiecto, quod ad subsistentiam impertinens est, nam materialis forma existit in subiecto, nihilominus subsistit subsistentia totius, sed non existunt per se, quia non existunt tanquam quid completum substantialiter, hoc enim ex dictis repugnat accidenti.

QUÆRES 2. *Quid sentiendum de Causa operativa Subsistentia?*

ASSERO 1. *Non esse principium effectivum operationum, Subsistentiam.* Ita recentior Suar. Lugo & alii.

RATIO. Tum quia ex probabili præacta responsione, anima separata, non habet propriam substantiam, & tamen non operativa. Tum quia in Verbo incarnato, natura humana est operativa, & tamen non habet propriam substantiam, nec debet dici, quod substantia creatæ in ordine ad agendum, suppleat vices substantia in creatæ, quia operationes ad extra sunt communes toti Trinitati, non ergo hoc suppleret sola ut supponitur substantia Verbi, quando autem infinitus valor tribuitur operibus Christi, non inde hoc sequitur, quasi suppleat Verbum, concursus effectivum substantia creatæ, sed inde quia proficiscebantur à natura, quæ terminabatur Persona Divina. Tum quia si substantia sit distincta, spoliaturque natura omni substantia, numquid hoc ipso deberet cogitari, v. g. Angelus nihil operans, nihil intelligens, nihilque volens, adeoque mortuus quodammodo spiritualiter, quia sine ullo motu existens. Quando autem dixi, actiones ad extra, esse communes toti Trinitati, non est ita supponendum, quod ab ipsis formaliter Personis egrediantur, egrediuntur enim formaliter ab Omnipotentia communi, sed hoc, eo sensu dicitur, quia nulla est actio, quæ sit ad extra, quæ tribuatur alteri. De actionibus Divinis ad intra, posset esse aliqua difficultas, quia cum detur in Divinis ratio producentis & producti, adeoque distinctio realis, quæ in Divinis est ratione Personarum, etiam Personis ratio producentis & producti tribui debet, quæ ratio non urget pro naturis creatis, quæ in se ipsis produci possunt & producere. Quamquam reflectendo ad ea quæ dicuntur in Materia de Trinitate, ubi docetur, Personas non relationibus sed originibus constitui, originibus etiam tribui poterit ratio producentis & producti ab intra. Personis autem tribuetur productio in sensu non nisi reali & identico tanquam non distinctis à Virtualitate originis activæ.

Restat discutiendum, an substantia requiratur ad operandum saltem per modum conditionis? Porro conditiones ad operandum requisitæ, aliæ sunt per se, ut approximatio ad utendum, aliæ per accidens, quæ scilicet quamvis non essent, adhuc agens operaretur. Subsistentiam esse conditionem per se requisitam, tenet Suar. & Lugo. Esse verò requisitam non nisi per accidens, tenet Vasq. & rec. Suar. Hoc ut expectatur.

ASSERO 2. *Respectu principii operativi, tanquam conditionem per se, requiri substantiam.*

RATIO, quia prius est esse in se completum, quam agere, cum ergo substantia compleat

principium, sit ut ex parte principii, per se requiratur. Ex quo ulterius colligendum est, quis sit sensus illius axiomatis; Actiones sunt suppositorum. Si enim faciat hunc non nisi sensum, actiones sunt naturarum singularium, quomodo in actiones Christi, derivabitur infinitudo à Persona Verbi? si autem faciat hunc sensum, actiones denominant suppositum, restat querere, quod sit fundamentum huius denominationis, quod sit tractivum, in operationes ejus dignitatis, quam dignitatem dicit ipsum suppositum, ita ut illa dignitas, non sit mera imputatio. Est ergo tertius sensus isque legitimus, Actiones sunt suppositorum, quia substantia adherunt naturis complementum substantiale, quo non nisi posito, procedatur ad agendum, ita ut illa substantia, requiratur tanquam substantiale complementum, complens principium activum in ordine ad se, ut postea exire possit, ad operandum.

ASSERO 3. *Respectu ipsius operationis præcisè non esse conditionem per se requisitam, substantiam.*

RATIO. Quia entia sicut non sunt multiplicanda sine necessitate, ita nec conditiones per se requisitæ. Erit autem substantia ad operationem conditio per accidens requisita, quia requirit principium prius perfici in se, quam agere.

QUÆRES 3. *Quis sit effectus formalis substantia?*

ASSERO 1. *Effectus formalis primarius substantia, est reddere naturam stantem per modum totius.*

RATIO. Quia effectus formalis primarius, est ipsa forma sive Metaphysica sive Physica. unio ejusdem, subjectum capax. Cum ergo ipsa forma metaphysica, quæ est substantia, sit forma, quæ est perfectissima per modum totius, sit ut effectus illius formalis primarius, sit reddere per se stans, per modum totius. Sed quis effectus formalis secundarius substantia. Sunt proponendæ aliorum explicationes.

EXPLICATI. Suar. Disp. 34. Metaph. T. 5. n. 40. quod effectus secundarius substantia ut sic, sit naturam reddere independentem ab alio sustentante, seu constituere ipsam in ea incommunicabilitate, quæ opponitur inhaerentiæ. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia independentem ab omni substantia, substantia est substantia, neque enim esse accipit à substantia, ergo independentem à substantia, non est substantia accidens, adeoque opponitur inhaerentiæ, quæ propria est accidentis. Tum quia ut bene advertit Oviedo, Materia & ipsa est subjectum primum, adeoque independentem ab alio subjecto sustentante, Anima item rationalis, eò ipso quia creatur, independentem est à subjecto sustentante. Idem

Idem dic de Angelo. Ergo apparet exclusi-
nem inhaerentiae, non haberi à substantia, &
sicut praedicta non negativè, sed positivè sunt
substantia, ita positivè excludunt inhaerentiam.
Tum quia nulla est necessitas, nullumque fun-
damentum ab alio, quàm ab ipsa substantia, præ-
cisè, desumendi independentiam ab alio su-
stentante.

EXPLICANT 2. Aliqui per incommunica-
bilitatem, quod scilicet effectus formalis secunda-
rius substantiae, sit reddere naturam incommu-
nicabilem alteri ut supposito. Est explicatio
Suar. utriusque. *Sed*

NON SATISFACIT 1. Quia persona Patris
in Divinis, est vera persona, & tamen non red-
dit naturam ulterius incommunicabilem. Ne-
que valet si dicas cum recitat. Suar. quod subsi-
stentia solum impediatur, ne ipsa ab alia subsisten-
tia terminetur, & mediante illa non terminetur
natura, non inquam valet, quia immerito dice-
retur naturam incommunicabilem reddi, sed
potius debuisse dici, ipsam Personam reddi, vel
potius esse incommunicabilem. Sic v.g. albedo
denigrari non potest, immerito tamen dicitur,
ab illa reddi in denigrabilem parietem. Impe-
netrabilitas item, est effectus quantitatis, si ta-
men stante quantitate, aliunde æquè bene pe-
netrari posset, immerito diceretur, impenetra-
bile, à quantitate, reddi corpus, quamvis ipsa
impenetrabilitas non possit penetrari; sic & in
praesenti, si substantia stante conjunctione cum
substantia, est communicabilis, licet ipsa subsi-
stentia non communicetur, non debet dici,
quod ab illa substantia, reddatur incommuni-
cabilis natura divina. Et certe id, quod dicitur
mediate substantia non posse communicari
naturam, vel habere hunc sensum, quod dum est
conjuncta cum una substantia, non possit con-
jungi cum alia, & hoc falsum est, quia de facto
natura divina pluribus subsistentis terminatur,
vel dicta propositio habet hunc sensum, quia
ipsa substantia terminari non potest, & hoc
non valet ad intentum, quia quaerimus de effe-
ctu secundo, communicato ipsi naturæ.

NON SATISFACIT 2. In principiis Suar.
quia ipse admittit substantiam absolutam in
divinis, quæ non reddit naturam divinam ulte-
rius incommunicabilem, ergo apparet, non esse
hunc effectum substantiae ut sic.

NON SATISFACIT 3. Quia incommunica-
bilitate datur prior conceptus, qui tamen non
importat effectum formalem primum, ergo
apparet illam incommunicabilitatem esse non
secundarium, sed alium formalem effectum.

EXPLICATUR itaque aliter effectus formalis
substantiae, dicoque esse habere negationem
partis, seu dicere negationem essendi in alio
tanquam in toto, quod illustratur tali discursu.
Nominè effectus secundarii non intelligitur
quidquam aliud in formis metaphysicis, nisi id

quod cum fundamento in re intelligi potest,
tanquam emanans, & consequens rem, jam in
suo esse constitutam; qui effectus secundarii in-
terdum nomine attributorum, interdum nomi-
ne effectuum veniunt, vocanturque attributa,
quia ad ipsum principale, tanquam fontem, ra-
dicem, & originem attribuuntur. Vocantur
passiones, quia illas subiectat adeoque patitur in
se illud esse. Vocantur denique effectus, quia
ab ipso esse, tanquam à causa Metaphysica pro-
fluunt. Porro inter ipsos effectus secundarios,
alii sunt, ut ita dicam primò secundarii, alii se-
cundò secundarii, primò secundarii effectus
sunt, qui censentur profluere ab aliquo esse,
illique advenire, quamvis respectu aliarum for-
malitatum advenientium præsupponantur, ad-
eoque habent rationem priorum. Sic v.g. ad-
mirativitas, est secundarius effectus rationalita-
tis, prior tamen & præsuppositus ante risibili-
tatem, prius enim est mirari postea ridere, & in-
ter attributa entis secundariosque ejus conce-
ptus, prior est ratio veri, quàm ratio boni. Jam
verò inter effectus secundarios, illa formalitas
est primò secundaria, quæ est negatio oppositi
esse, ei, quod ipsum illud esse, importat effectus
primarius. Sic v.g. primò importatur rationali-
tas ab homine, negatio autem irrationalitatis,
est quid secundarium, tanquam negatio opposi-
ti rationalitati, primò importata, quæ negatio,
est negatio irrationalitatis. Rursus illud est ef-
fectus primò secundarius, qui non est quidem
primus, non tamen ex reliquis, habet aliquem
priorem se. Ex quibus regulis concluditur ef-
fectum primò secundarium substantiae esse ne-
gationem partis: nam imprimis, non est qui-
dem hic effectus formalis primarius, quia nega-
gativis semper sunt priora positiva in entibus
positivis, qualis est substantia, est tamen ef-
fectus primò secundarius, quia nullus alius, illo
prior est. Deinde nihil est aliud negatio partis,
quàm negatio non totius, quæ tamen negatio
non totius, seu negatio partis, est negatio oppo-
siti illi esse, quod importat substantia, & cum
esse, quod importat substantia, sit esse totius,
negatio non totius, seu negatio partis erit ne-
gatio opposita illi esse, quod dicit substantia.
Si autem est negatio partis, est negatio opposi-
ta illi esse, quod importat substantia, hoc ipso
est primò secundarius conceptus illius. Nec
tantum habet substantia ipsa in se, ut non ha-
beat rationem partis, sed etiam, ut ipsa natura
unita illi substantiae, non habeat rationem par-
tis, hinc natura divina nec in Patre, nec in Filio,
nec in Spiritu S. habet rationem partis. Ad
quod postea consequitur, ut non communice-
tur alteri, supple simul cum substantia, tam in
creatis, in quibus non datur distinctio virtualis
inter communicabile & non communicabile
intra eandem entitatem physicam, quàm
in increatis.

DIFFICULTAS III.

De variis subsistendi modis.

Duplex subsistendi modus, alius per subsistentias creatas, alius per increatas, de utroque hic agendum.

Punctum Difficultatis 1.

De modis subsistendi subsistentia creata.

ASSERO 1. *Quod in sententia nostra, non possit subsistentia creata, terminare naturam increatam.*

RATIO. Quia si subsistentia creata posset terminare naturam increatam, natura increata & non haberet rationem partis, & haberet, haberet quidem, quia se haberet ita, sicut natura humana in Christo non terminans, sed terminata, terminatum autem non habet rationem totius. Rursus supposita illa unione, natura divina non diceret rationem totius se sola, idque ob interventum unionis cum natura creata, ergo habet rationem partis: non haberet etiam natura divina unita naturæ humanæ, & terminata per personalitatem humanam rationem partis, quia illi non competere imperfectiones partis ut perfectibilitas, ratio imperfectioris &c. similia: hocq; ipso videretur natura divina perfici à creato, si ab aliquo creato, acquireret rationem totius.

ASSERO 2. *Quod in sententia distinguente entitativè subsistentiam à natura, non sit possibile à subsistentia creata, terminari naturam increatam.* Examinandæ hîc sunt communes implicantiæ.

1. IMPLICANTIA. Quia natura dependet à subsistentia; à nullo autem creato potest dependere natura increata.

RESPONDERI potest. Hoc argumentum multum probare, probaret enim etiam à subsistentia increata, non posse terminari naturam divinam, quia illa, à nullo increato etiam, dependere potest. Deinde dici potest, dependentiam quandam esse rigorosam, qualis est dependentia creaturarum à Deo, alia autem est dependentia largiori modo seu dependentia termini, quia ergo dependentia à subsistentia, est dependentia à termino, bene Deo tribui potest.

2. IMPLICANTIA est, ex recentiori Suar. &c. quia id repugnat; & ex parte personæ creatæ, quia nulla subsistentia creata potest terminare naturam alienam. Repugnat etiam ex parte naturæ divinæ, quia illam repugnat mutari, mutaretur autem, quia deberet in se recipere unionem cum illa persona. Quod ipsum probat. Quia unio hypostatica recipitur in natura assumpta non in termino, omnisque unio recipitur in extremo, non in termino.

RESPONDERI potest. Hoc ipsum erat probandum, quod implicet subsistentiam creatam, terminare naturam alienam, & sicut unum idemque lumen gloriæ, & respicit intellectum tanquam subiectum in quo recipitur & respicit Deum, ad cuius solius præsentationem concurrere primario potest, ita cur non erit possibilis persona creata supernaturalis, quæ tanquam subiectum respiciat naturam creatam, & tanquam terminabile intrinsecum, naturam increatam?

Non etiam repugnat talis terminatio ex parte naturæ increatæ, quia in sententia plurium, unio materialis recipitur in materia, terminatur autem ad ipsam animam rationalem, cur ergo idem dici non potest de subsistentia creata terminante naturam increatam, quod scilicet reciperetur in natura vel persona creata, terminaretur ad increatam, & ad eum modum quod unio hypostatica recipitur in natura humana terminatur ad personam Verbi, & sicut non mutatur per hoc persona Verbi, ita nec mutaretur natura divina.

3. IMPLICANTIA est. Quia si natura divina terminaretur subsistentia creata, destrueretur simplicitas Dei, idcirco enim non admittuntur subsistentiæ divinæ distinctæ realiter, quia destrueretur Dei simplicitas.

RESPONDERI potest. Ideo non admittitur subsistentia divina distincta realiter, quia ipsa etiam deberet esse Deus, & tamen distinguere- tur realiter à natura divina, sed hoc non eveniret, si subsistentia creata terminaret naturam increatam. Deinde quia illæ subsistentiæ divinæ distinctæ realiter à Deitate, deberent esse quid intrinsecum Deo, pertinensque per se ad Deum, adeoque ratione suæ intrinsecitatis, destruerent simplicitatem Dei, non destruitur autem simplicitas Dei per hoc, quod est extrinsecum Deo, & quod ita se haberet posita hac terminatione, ut nunc natura humana, in unione hypostatica Verbi, cuius simplicitatem non destruit.

4. IMPLICANTIA. Natura divina est infinita, ergo non potest terminari per terminum finitum.

RESPONDETUR. Quod non sit materialiter imaginanda ratio termini in persona, quasi sit per aliquam coextensionem, in qua facile convincitur, quod res infinita à finito non possit terminari; sed terminatio quæ habetur à subsistentia, non aliud vult quam quod faciat naturam per se stare communicata à se per se stantia, quam quid implicat communicari ab aliquo creato?

In idem recidit illa implicantia, quia ad personalitatem spectat sustentare, natura autem divina non potest sustentari, quia nullo fulcimento indiget, sed nunquid re ipsa subsistens?

Punctum Difficultatis 2.

sistentia increata, est sulcimentum naturæ Divinæ, præcipue cum hoc sustentare, nihil aliud faciat, quam quod reddat naturam per se stantem. *Sit itaque*

V. IMPLICANTIA. Quia & posset personare naturam Divinam subsistentia creata, & non posset: posset quidem ut supponitur, non posset autem, quia omne Personativum, debet adferre ultimam perfectionem & completionem substantialem, nihil autem creatum potest esse ultimo completivum Divinæ naturæ, de se completissima.

ASSERO III. *Non posse subsistentiam creatam terminare aliam à se naturam creatam.*

RATIO. Quia & esset tunc una utriusque subsistentia, & non esset, esset ut supponitur, non esset autem, quia altera Natura non acquireret rationem totius, ratione alius, quod ipsum probatur. Utraque tunc amitteret rationem totius, quod probatur. Quia ex eo solum in unione hypostatica Verbum non amittit rationem totius, quia non perficitur, nec acquirit tunc ulla perfectionem, jam autem habens duas naturas creatas, perficitur per hoc.

DICES. Si non potest una subsistentia terminare aliam naturam, daemones videntes naturam humanam Christi, bene intellexissent terminari illam subsistentia Divina.

RESPONDETUR. In Principiis nostris ponentibus subsistentiam esse in Recto Naturam, non poterant videre Daemones, Christum caruisse propria subsistentia.

ASSERO IV. *Per nos non posse naturam unam creatam terminari pluribus subsistentiis propriis.*

RATIO. Quia & terminaretur pluribus subsistentiis propriis, & non terminaretur, terminaretur ut supponitur, non terminaretur autem, quia non est intelligibile, quomodo haberet pluries rationem totius, nihil enim plus haberet, quam si uniter haberet rationem totius. Aliud est de natura Divina, quæ tribus propriis subsistentiis terminatur, quæ distinguuntur realiter vir tualiter adeoque sunt non mera formalitas, ratione suarum virtualitatum adferunt plus, quam foret, si uniter subsisteret natura Divina. Et sicut si plures, si ve duæ guttæ uniantur inter se, non est illis nisi semel ratio totius, ita & in præsentia, non nisi semel subsisteretur.

ASSERO V. *In sententia condistingvente modaliter subsistentias posset una natura pluribus subsistentiis subsistere*, quia nulla videtur esse in hoc implicancia, arbitrium tamen est, non nisi tribus illam subsistere, sicut subsistit natura Divina, ad eum modum quo paries albus, si insuper alia albedine potest dealbare, non est ratio, cur non etiam tertia possit dealbari, nec tunc una subsistentia terminaret aliam, sicut nec in Divinis terminat.

De variis Modis subsistendi Subsistentiæ increatæ.

Non est hujus loci agere de subsistentiis increatis, in quantum terminant naturam increatam, hoc enim spectat ad materiam de Trinitate. Quanquam multa de illis prænosci possunt ex istis, quæ dicta de distinctione virtuali. Sed agendum hic de illis in quantum terminare possunt naturam creatam. Discutiendum imprimis est, an eandem naturam creatam, plures Personæ Divinæ terminare possint? Affirmatur Suar. uterque & alii ex nostris, contra Lugo loco citato n. 80. & contra Amicum, qui dicit, si adæquatè terminaretur natura creata à subsistentia increata, jam non poterit terminari ab altera, secus si inadæquatè terminaretur.

DICENDUM I. *Inadæquatam terminationem à Persona Divina impossibilem esse.*

PROBATUR I. Quia & esset inadæquata illa terminatio ut supponitur & non esset, quia adæquatè terminare, nihil aliud est, quam adæquatè dare esse per se, adæquatè autem dare esse per se, nihil aliud est, quam ita dare esse per se, ut nihil sit naturæ, cui non sit data ratio essendi per se. Hoc autem in omni unione hypostatica contingit, quod probatur. Vel enim hæc unio erit cum substantia spiritali completa, & hæc cum sit indivisibilis, non apparet quomodo inadæquatè terminari possit, sicut non apparet, qui punctum inadæquatè terminetur. Si autem hæc unio erit, cum substantia completa, sed composita habenteque partes etiam hæc divisibiliter quidem in indivisibili tamen consistet, ita ut si dicatur terminari anima & non terminari corpus non debeat dici assumptus homo, ergo in talibus non habet locum inadæquata assumptio.

PROBATUR II. Quia inadæquata terminatio vel hoc sensu est inadæquata, quia non totum terminat, v. g. unam partem & non aliam, & de hoc in præsentia non est difficultas, quia illæ partes habent se in hoc genere sicut disparata unibilia, indubiè autem unito Petro, non repugnat uniri Paulum, eritque adhuc responsio non secundum statum quæstionis; non enim idem terminabitur pluribus subsistentiis, sed plures subsistentiæ, plures partes vel tota; vel in isto sensu erit inadæquata illa terminatio, quia subsistentiæ illæ attemperabunt suum concursum, suamque terminationem, ut locus detur alteri terminationi: & hoc dici non potest, quia terminatio illa nihil aliud est, nisi unio Personarum, quæ utpote indivisibiles inadæquatè se dare non possunt, sicut anima rationalis indivisibilis,

visibilis, pro sua parte inadæquatè informare non potest.

PROBATUR III. Persona Verbi unita naturæ humanæ, non potest ejusdem actiones inadæquatè inæqualiterque dignificare, sed se tota tenetur, dignificare. Ergo nec potest eadem inadæquatè terminare.

OBJICITUR I. cum Amico. Concurfus sustentativus attemperari potest, adeoque facere inadæquatè sustentari naturam, quod ipsum probat, quia ille concurfus consistit in quodam nisu, quo natura humana in hypostasi Divina, media unione innititur & sustentatur.

RESPONDETUR. Neg. Antecedens cum sua probatione, & iste nisu personæ in sustentando, non est rationabiliter imaginabilis.

OBJICITUR II. Accidens, licet non possit unitum pluribus subjectis, totum suum effectum formalem tribuere, potest tamen ab unoquoque non totaliter sustentari, ergo idem in præfenti dicendum. Antecedens probatur. Quia unio ab una tantum parte sustentatur, & tamen utrique extremo confert suum effectum formalem, ergo etiam licet non possit Divina Persona non totum effectum suum formalem communicare naturæ creatæ, potest tamen natura assumpta non totaliter, sed tantum partialiter ab una sustentari.

RESPONDETUR. Imprimis indistincta hæc duo esse, totum suum effectum communicare subsistentiam, & eandem non partialiter, sed totaliter & adæquatè sustentare naturam, proindeque si concedatur primum, concedi debet & aliud. Deinde Antecedens cum sua probatione hoc tantum sensu verum esset: quod scilicet accidens, vel unio, non nisi ab una parte possit recipi, & non recipi ab alia, quod etiam verum est de Persona Divina. Hinc distingui potest consequens. Ergo potest natura creata partialiter sustentari h. e. cum una tantum naturæ (si sit compositum) parte uniri. Conceditur, potest partialiter sustentari, h. e. non habere totum id, quod ad esse per se stantis spectat. Negatur, hoc enim est quid indivisibile. Hinc

ADDO. Distinguenda sunt hæc duæ propositiones. Potest Persona Divina uniri non adæquatè, sed uni non nisi parti. Et alia hæc est, potest ei cui unitur, non nisi inadæquatam perfectantiam tribuere, & hæc Propositio est falsa, prior vera.

DICENDUM II. *Possè terminari adæquatè unam creatam naturam, à pluribus Personis Divinis.* Antequam probetur Conclusio.

SUPPONO I. Quod Ly adæquatum interdum sumatur pro Ly solum, & ita adæquatum fidei objectum est v. g. suprema veritas, quia tota ipsa, est motivum fidei. Interdum Ly adæquatum, non importat Ly solum, sed importat exclusionem partialitatis, & sic v. g. duæ causæ to-

tales ejusdem generis, dum miraculosè eundem effectum causant, utraque causa est adæquata, non importando solitudinem, sed importando exclusionem partialitatis, totus enim effectus & non pars illius, pendet à singulis. Secundoque sensu accipitur in præfenti Ly adæquatum.

SUPPONO II. Quamvis ratio formalis subsistentiæ, sit per se subsistere, hoc tamen potest dare æquivocationis causam, nam si subsistere per se pro eodem sumatur, ac non subsistere in alio à se, hoc sensu non jam subsisteret natura humana Christi, quia illius subsistentia, est in alio, h. e. in Verbo. Hinc ita intelligendum est illud per se stare, ut & illis quæ subsistunt in alio, seu per subsistentiam alienam, quadrare possit, & iis quæ subsistunt per subsistentiam propriam, quos modos subsistendi Lugo dicit univocè non convenire, ut autem salvetur istud per se subsistere, est necesse intervenire unionem substantialem ad Personam ceteroquin non propriam, *his positis*

PROBATUR I. Conclusio. Quia id non implicat contradictionem, ut probabit solutio objectionum.

PROBATUR II. Una eademque natura increata, potest terminari pluribus subsistentiis increatis, ergo & creata poterit eisdem terminari.

RESPONDET I. Lugo. Quia natura Divina subsistit per tres subsistentias proprias, subsistere autem per propriam subsistentiam, non est naturam sistere in tali supposito, sed sistere in se ipsa, quare cum non repugnet, ut natura sistat in se ipsa per triplicem subsistentiam, nec repugnat etiam, tres subsistentias proprias, eandem habere. At verò quando natura subsistit per subsistentiam alienam, non sistit in se, sed in ultimo supposito, quare cum repugnet naturam sistere in tali supposito ultimo, & adhuc progredi ulterius ad sistendum in alieno supposito, consequens est ut repugnet, quod natura humana, quæ semel subsistit in supposito Verbi, subsistat ulterius in supposito Patris & Spiritus Sancti.

CONTRA est. Tum quia potest natura sistens in supposito uno sibi identificato, sistere postea in alio supposito, distincto realiter à prior, licet sibi identificato, nec repugnat, ut sistat in hoc supposito sibi identificato, & progrediatur ulterius ad sistendum secundò in alio supposito, quantumvis sibi identificato, distincto tamen realiter ab altero supposito. Ergo etiam semel non sistens in proprio supposito, poterit & secundò non sistere tantum in se, sed in alio supposito, adeoque pluribus Personis terminari. Tum quia inter subsistentias divinas inter se comparatas distinctio & aliteras realis non impedit, quo minus natura pluribus subsistentiis terminetur, veraque hæc est propositio: Quod natura Divina in alio supposito subsistat subsistens

stans subsistentia Verbi, & in alio dum subsistit, subsistentia Patris, & tamen hoc non impedit, ut pluribus subsistentiis terminetur natura Divina, ergo non impedit ut terminetur natura creata, iisdem. Tum quia adhuc tunc verum esset dicere: natura creata per se subsistit. Ergo pluribus illis terminari poterit, ex hoc enim solo, non posset terminari natura creata pluribus subsistentiis Divinis, quia non per se subsisteret. Antecedens probatur de natura Divina sistente per plures subsistentias increatas semper verum est dicere, sistit in se & per se quamvis sistat in subsistentiis, quarum una non est alia, ergo etiam si subsistat natura creata, subsistentiis increatis, semper verum erit dicere: sistit in se & per se, quareneque restabit, quare natura sistens in seipsa, possit tamen subsistere per triplicem subsistentiam & id non possit habere sistens in alio.

RESPONDET II. Amicus Disp. 14. de Incarn. Sect. 6. Quod natura Divina non exigit suas personalitates ad sistendum pure, sed per modum principii fecundi ad intra, utque sit fecunditas ad intra per principium intellectivum & volitivum requiritur personalitas Patris qua fiat fecunda ut principium intellectivum Filii, utque Persona Filii una cum Patre fiat completa in ratione principii volitivi, & simul terminetur intrinsece Verbo substantiali producto, & Spiritu S. tanquam amore notionali inspirato, ea propter requirit, & personam Filii & personam Spiritus Sancti: Natura vero creata, non indiget personalitate nisi ad pure subsistendum, cum alias ex se, tota ad intra quam ad extra, supponatur fecunda.

CONTRA est. Tum quia quamvis natura creata non exigit subsistentiam increatam, tanquam principium fecunditativum, tamen hoc non obstante, potest terminari subsistentia increata una. Ergo poterit terminari & pluribus, idque non ex indigentia fecunditatis. Tum quia si subsistentia increata non possent secum consistere absolute, non possent exigi à natura Divina tanquam principia fecunditativa. Ergo prius est illas posse secum consistere, quam exigi ad fecunditatem; cur ergo non conveniet illis hæc secum consistentia & compatibilitas, in una etiam natura creata. Tum quia quavis natura creata indigeat non nisi una subsistentia, cur non titulo indigentia, sed divinitus & ex placito assumentium naturam creatam personarum, pluribus etiam Divinis subsistentiis terminari non poterit?

RESPONDET III. Idem. Personalitas v.g. Patris, quamvis sit sufficiens ad terminandam naturam Divinam in ratione existentia relativa Paternitatis, non est tamen sufficiens, ad terminandam illam in ratione existentia relativa Filiationis.

CONTRA est. Terminans Persona Verbi, naturam humanam, sufficit non nisi ad terminandam illam, ut natura illa dicatur VERBUM Caro factum, & non est sufficiens ut natura illa dicatur Pater. Caro factus ergo adhuc dabit locum subsistentia Patris sicut dat in Divinis.

RESPONDET IV. Idem. Rem semel substantialiter completam, non posse ulterius substantialiter compleri; jam enim illud aliud complementum substantiale, adveniret post ultimum complementum substantiale; sicut materia non manet incompleta substantialiter, si sit adæquate completa per formam, & è converso forma unita materia non manet incompleta, aliàs anima rationalis completa, per materiam hominis, posset compleri per materiam equi, & materia hominis completa per formam hominis, compleri posset per formam equi, sicque natura integra hominis, poterit compleri substantialiter per naturam integram equi, & è converso.

CONTRA est. Tum quia potest uni eidemque materia, uniri divinitus duplex forma substantialis, ut probatum in Phisicis, cujus oppositum videtur supponere præsens responsio, ergo & duplex poterit uniri subsistentia Divina. Tum quia una forma substantialis adveniens subjecto, altera forma præinformato, ut ibidem dicitur, constituet unum per se cum eadem, ergo & in præsentem idem dici poterit. Tum quia Natura divina semel completa substantialiter per personam Patris, est adhuc complebilis per personam Verbi, & Spiritus Sancti. Ergo erit ita complebilis etiam Natura creata.

RESPONDEBIS V. Quod hoc sit proprium solius naturæ Divinæ, subsistere pluribus subsistentiis.

CONTRA est. Tum quia concedo solius esse naturæ Divinæ connaturaliter & indispensabiliter, non nisi tribus subsistentiis subsistere, sed nego divinitus id non posse etiam naturæ creatæ competere. Tum quia proprium est solius naturæ increatæ subsistentia Verbi subsistere, & tamen divinitus, humanitas Christi, subsistit per eandem, ergo idem dicendum de aliis, simul naturam creatam terminantibus. Tum quia recentiores negabunt, proprium esse soli naturæ Divinæ pluribus subsistentiis subsistere, licet sit proprium soli naturæ Divinæ subsistere subsistentiis identificatis naturæ realiter, inter se autem distinctis realiter.

PROBATUR III. CONCLUSIO. Paritatis quas etiam proponit sibi Amicus.

I. PARITAS est. Materia adæquate informata una forma, est adhuc adæquate informabilis alia forma. Ergo & natura adæquate terminata una Persona Divina, est terminabilis ab alia.

RESPONDET AMICUS. Disparitatem esse quia

quia materia est substantialiter perfectibilis. Contra est. Ergo & natura creata, perfecta perfectione terminationis, acceptibilis a Verbo, manet adhuc perfectibilis perfectione terminationis, acceptibilis ab alia Persona.

II. PARITAS est. Potest idem effectus bis accipere esse, à duplici totali causa & adæquata; ergo & terminari bis substantialiter à pluribus Personis Divinis.

RESPONDET. Negando Antecedens, sed hoc est impugnatum in Physicis materiis.

III. PARITAS. Potest Persona Divina faciens unum substantiale cum hac natura creata, componere aliud unum substantiale cum alia natura creata, ergo & è converso natura componens unum substantiale cum persona Verbi, poterit componere unum substantiale cum Persona v. g. Patris.

RESPONDETUR. Disp. esse quia Persona Divina faciens unum cum illis naturis semper illas inveniet incompletas, adeoque substantialiter perfectibiles, si autem accedat Persona Patris terminatæ naturæ à Verbo, nihil inveniet complebile & perfectibile substantialiter.

CONTRA est. Quia quamvis inveniat Paternitas naturam completam, non tamen completam à se, cur ergo implicabit ut illam compleat sua personabilitate, & certe quæ est capacitas materiæ ad plures formas substantiales, quamvis altera inveniat materiam ab alia forma completam, ea est ad plures substantias, sed priorem illam reduci in actum non implicabit, ergo nec implicabit posterius: & sicut terminans Naturam divinam Persona Verbi, invenit illam ut ita dicam completam prius origine à Persona Patris, & tamen Persona Verbi terminat Naturam divinam, ergo & terminabit, quamvis invenerit præterminatam à Persona Patris.

OBJICIT I. Lucio. Subsistentia v. g. Verbi, ita terminat naturam humanam, ut non faciat illam quidem per se subsistentem, faciat tamen illam in supposito subsistentem h. e. in verbo, ergo illa natura, non potest jam terminari alio supposito. Consequentia probatur quia sicut repugnat terminari in se & terminari in alio sic etiam repugnat terminari in supposito Verbi, & terminari in supposito Spiritus S. quia terminari in supposito verbi adfert virtutem contradictionem, ad non terminari in supposito Spiritus Sancti.

RESPONDETUR. I. Retorquendo argumentum: cur scilicet terminatio per Verbum non adferat virtutem contradictionem ad non terminari (idque in natura Divina) à Persona Spiritus S. Directè autem nego consequentiam; nego item quod terminari in supposito Verbi, dicat virtutem negationem negantem posse terminari, à Persona Spiritus Sancti.

OBJICIT II. Amicus. Non potest ex duo-

bus entibus ultimò completis substantialiter, fieri unum substantiale per se: quia in compositione substantiali, saltem unum extremum debet esse incompletum.

RESPONSUM. Huic argumento in Physicis, ubi actum: an una materia possit pluribus formis substantialibus informati, agendo etiam de causis, hinc dici potest, quod non ex indigentia ulterioris perfectionis, terminanda sit illa natura, altera subsistentia Divina; sed ut ita dicam per excessum, & ut idem habeatur, pluribus titulis. Deinde potest dici quod natura creata subsistentia Verbi non indigeat eadem, cum supponatur jam illam habere, indigeat tamen altera (indigentiam largius accipiendo) cum supponatur illa altera subsistentia carere, erique respectu illius secundæ subsistentiæ incompleta, cum nec dum habeat illam.

INSTAT IDEM. Ideo natura adæquatè completa in ratione naturæ, nequit componere unum substantiale cum alia pariter completa natura, quia nullam habet exigentiam, nec indigentiam, ulterioris perfectionis substantialis, spectantis ad complementum naturæ. Ergo nec una substantia completa per unam subsistentiam, habebit indigentiam alius subsistentiæ.

RESPONSUM. Supra, non ex indigentia hoc futurum, quanquam & indigentia sit ostensa. Probat etiam argumentum multum, quia probat etiam Naturam divinam, non posse à pluribus subsistentiis terminari. Negari etiam potest argumento Paritas, quicum natura non habeat obedientialem capacitatem, ut cum altera natura uniatur substantialiter, non est mirum, quod non possit cum altera natura componere unum totum substantiale. Jam verò quia habet natura capacitatem obedientialem, ut possit cum Persona divina uniri substantialiter, non erit ratio, ut si uniatur cum una persona divina, non jam simul uniri possit, cum altera.

OBJICITUR III. Si naturam assumptam à verbo posset terminare persona Patris, una persona posset per communicationem idiomatum prædicari de alia, adeoque habere identitatem cum alia, quod ipsum probatur. Verum esset hoc argumentum: Hic homo est Pater. Hic homo est Filius. Ergo Pater est Filius.

RESPONDETUR. Hoc argumentum non habet difficultatem contra nos specialem, sed idem solvi deberet ab omnibus in materia de Trinitate, simile enim faciam argumentum: Hic Deus est Pater. Hic Deus est Filius. Ergo Filius est Pater, & quidem magis in materia de Trinitate valeret, si valeret quia in Trinitate, Persona dicit identitatem realem cum Natura, quam non dicit Persona in creata, respectu naturæ creatæ, vi unionis cum eadem. Directè
tum

tum dico, omnem communicationem idiomatum fundari in unione substantiali; unionem autem substantialem dico fundari in incompletione perfectibilitateque substantiali, completivitateque ac perfectivitate substantiali: Quia autem natura creata est complebilis in ratione personæ & persona Divina completiva ejusdem, fit, ut communicatio idiomatum, inter hæc duo, posita unione, sequi possit: Quia verò una persona respectu alijs non est complebilis & alia completiva, fit ut inter illas nec unio substantialis, nec communicatio idiomatum intervenire possit. Ex istis etiam quæ dicta sunt in materia controversa Trinitatis, negatur illi expositio, consequentia.

Punctum Difficultatis 3.

Potestne Persona Divina, solam Personam creatam assumere?

DICENDUM I. *Non est id possibile in nostris principiis.*

PROBATUR. Quia & assumeret solam personam creatam & non assumeret, assumeret, & quidem solam ut supponitur, non assumeret autem, quia illa Persona in recto est ipsamet natura, hinc si assumitur Persona, deberet assumi natura; aliàs intra eandem entitatem physicam, esset unum idemque quod assumeretur, & idem physicè quod non assumeretur, hoc autem est distinctionem virtualem physicam invehere in creatam.

DICENDUM II. *Etiā in principiis distinctionum entitativè substantiam, implicat assumi à Persona Divina, solam Personam creatam.*

PROBATUR I. Quia Persona est ultimus terminus, ergo ulterius terminari non potest.

PROBATUR II. à pari. Anima non potest animari ab alia anima, nec albedo dealbari ab alia albedine, nec quantitas quantificari ab alia quantitate, ergo nec substantia terminari ab alia substantia, ergo nec à Divina, non est enim major ratio unius quàm alterius. Quod si comminisceretur aliquis substantiam absolutam creatam, consimilem ei, qualem Suar. attribuit Deitati, illa ulterius posset dici terminabilis.

PROBATUR III. ex Amico, quia aliqua incommunicabilitas est de essentia Personæ, sed nulla altera, nisi incommunicabilitas alteri ut supposito, quæ enim alia? & tamen hæc incommunicabilitas tolleretur si assumeretur Persona à Persona, quia assumi nihil aliud est, quàm assumi, ad communicandum cum alio supposito, &c. similia.

OBJICITUR I. Unio quæ est inter corpus & animam Christi, unius unioni hypostaticæ ad Verbum aliā unione. Ergo & substantia potest subsistere alia substantia.

RESPONDETUR. Disparitatem esse in nostris principiis, quia tunc in casu antecedentis non sequeretur idem uniri & non uniri, quod tamen sequeretur casu quo sola Persona assumeretur. In Principiis aliorum dat disparitatem recentior Suar. quia unio compositi non se ipsa est unio ad Verbum, potest ergo uniri per alteram unionem; sed ultimus terminus se ipso est ultimus terminus. Deinde quando unio unitur alia unione in casu Antecedentis benè adhuc salvari potest, quomodo retineat conditionem unionis, non enim facit illam per se unitam, unire extrema, sed si substantia creata, terminetur aliā substantiā v. g. Divinā, non retinebit conditionem ultimi termini substantialis, cum ulterius terminetur, & sicut non manent termini prioris quantitatis appositis novis, ita nec prior substantia erit terminus, si ab alia substantia terminetur: Supponit autem hæc disparitas, quod sit de ratione substantiæ, esse ultimum Terminum.

OBJICITUR II. Una relatio refertur per aliam relationem, & ita relatio transcendentalis fundat prædicamentalem. Ergo & substantia, potest subsistere per aliam substantiam.

RESPONDETUR. Posito quod una relatio funder aliam (de quo in Logica) adhuc una relatio seipsa refertur; sed hic una substantia, non per se ipsam subsisteret, sed per aliam substantiam.

OBJICITUR III. Possibile est ut Persona increata, assumat naturam creatam cum sua personalitate. Ergo & ipsam Personam solitariè assumere potest.

RESPONDETUR. Quod attinet ad Antecedens. Duplex unio inter naturam creatam substantem cogitari posset. I. Unio merè accidentalis, ita ut ex illa unione, nulla communicatio idiomatum, nulla in naturam creatam derivatio complementi, perfectionis, excellentiæ personalis derivetur, & quæ unio ita se habeat, sicut se habuit unio corporis Christi, & januæ clausæ in instanti penetrationis, quam etiam finge poni permanentem, ita ut nec janua sine corpore Christi, nec corpus Christi sine janua movere se possit, ita tamen ut hæc conjunctio naturæ creatæ substantis cum Persona Divina sit distincta ab intima præsentia, quam creaturæ habent ad Trinitatem, sed proveniat ab unione aliqua accidentali, ratione cujus fiat specialis determinatio & alligatio. Talis unio naturæ creatæ substantis ad Personam Divinam, videtur esse possibilis. Tum quia sic descripta alligatio non implicat. Tum quia difficilior est conjunctio naturæ creatæ, quæ fundat communicationem idiomatum, præ non fundante illā, Ergo si illa prior est possibilis, possibilis erit & hæc secunda: quæ non apparet quæ perfici possit, nisi sola alligativa illa unione. Tum quia quamvis talem unionem admiserit Nestorius, non ideo est

† R damna-

damnatus, quia illam admiscit possibilem, sed quia eam de facto admisit, cum tamen unionem cum communicatione idiomatum, proponit credendam, fides.

Ex quo ulterius colliges, etiam naturam creatam, habituram tunc rationem totius, sicut & corpus Christi & janua clausa in instanti penetrationis; vel si invicem localiter alligarentur rationem totius haberent, unaquaque singillatim. Secunda unio inter naturam creatam subsistentem, & inter Personam cogitari potest, quæ sit substantialis, fundans communicationem idiomatum, perficiensque naturam creatam in ratione totius, talis unio implicat retenta propria subsistentia. Ratio quia illa natura creata subsistens propriam subsistentiam, & haberet rationem totius & non haberet, haberet quidem, quia per nos subsistentia coincidit cum formalitate, habentis se per modum totius, non haberet autem rationem totius. Tum quia perfectibilitas, completio &c. quæ convenit parti, conveniret tunc ei naturæ. Tum quia si haberet rationem totius in se spectata, quomodo subsisteret subsistentia Divina. Tum quia si haberet una natura propriam subsistentiam, quomodo non foret tunc non nisi illa prior, h. e. merè accidentalis unio, & tamen supponitur, debere esse substantialem. Et hæc distinctio applicanda Antecedenti, sed sine ulla distinctione negant universaliter Suar. Vasq. Lug. Amic. licet oppositum sentiat Hurtad. Arriag. Ovied. recentior Suar.

I. RATIO. Lugonis & Valent. probantium non posse Naturam creatam subsistentem assumi à Persona divina, est hæc. Concilia ex eo solum colligunt non esse in Christo propriam personalitatem, quia ejus humanitas fuit assumpta à Verbo, ergo sentiunt non posse illam assumi, retenta propria personalitate.

RESPONDERI potest. Quod Concil. definiverit id, quod de facto est, non quod possibile est. Sicut definivit transubstantiationem Tridentinum, licet possibilis fuerit impanatio. Quod autem de facto non fuerit talis unio, collegit Ecclesia ex Doctoribus, traditione, Scriptura, quæ meminit etiam communicationis idiomatum, quæ si intervenire debeat, non erit jam connaturale, imò erit impossibile manere; in Christo personam humanam.

II. RATIO. Suar. Vasq. Lug. Effectus formalis primatius subsistentiæ, non est alius, quam reddere naturam per se existentem, & in ipsa terminatam, ergo implicat naturam tunc habere propriam subsistentiam & non esse actu per se; quod si haberet alienam subsistentiam & suam, tunc & esset per se & esset in alio, qui sunt virtualiter contradictorii termini.

RESPONDETUR. Sicut ratio formalis albedinis, est subiectum capax, cui unitur deal-

bare, adeoque tollere negationem albedinis consequenter nigredinem, cum hoc tamen stat, ut in eodem subiecto concurrere possint divinitus, nigredo & albedo, diversoque respectu illud subiectum erit album, diverso nigrum, sic & in præsentī diverso respectu natura esset in se, diverso esset in alio.

III. RATIO est. Quia subsistentia est ultimum complementum substantiale, idque modale, concursus autem modalis, ne divinitus quidem modificari potest.

RESPONDERI potest. Quod subsistentia sit ultimum complementum, sit ut alia subsistentia ipsamet, subsistere non possit; sed non facit ne simul uniat cum natura, idemque solum exigit Ratio modi, & sicut non dicitur modus modificari quando natura humana unita, unitur ulterius subsistentiæ Verbi, sic nec modificaretur modus, si natura cum subsistentia uniretur. Addo non esse certum quod subsistentia sit modus.

QUÆSTIO II.

De Accidenti.

QUÆRES I. *Quis sit primo essentialis conceptus accidentis.*

ASSERO I. *Actualem inherentiam non esse de primo essentiali conceptu accidentis, imò nec de essentia.* Ratio, quia quod est de essentia accidentis, ubicunque accidens est, convenit accidenti; jam autem in Eucharistia sunt accidentia panis, sine actuali inherentia. Quod si dicas inharere illa in quantitate, redibit difficultas de ipsa quantitate, quæ non inhareret actu in Eucharistia & tamen est accidens.

ASSERO II. *Aptitudinalem inherentiam si sumatur simpliciter pro quacunque inalienate non esse de essentia accidentis quæ accidens est.* Ratio, quia quod convenit accidenti quia accidens est, idque tanquam aliquid ejusdem essentialis, non potest convenire ei, quod non est accidens, inalienatas autem aptitudinalis, potest convenire ei quod non est accidens, nam formæ materiali, convenit esse in alio, nempe in materia, & utrique convenit suo modo, esse in toto. Natura item humana dicitur esse in alio h. e., in Verbo &c.

ASSERO III. *Aptitudinalem inherentiam mox explicandam per inalienatam rigorosam esse de essentia accidentis.* Quia convenit omni, soli, & semper ut inductione patebit. Quando autem dicimus esse de ratione accidentis, esse in alio, sufficit ut respectu cujuscunque sit in alio, & sic actio, quamvis non sit nec possit esse in agente, salvatur tamen ejus inalienatas, quia est in passio, actio enim est actio agens denominativè, non subiectivè. Sufficit rursum ut quale est accidens, ta-

lis

lis sit & ejus in alietas, & sic si sit accidens improprie seu per solam denominationem extrinsecam, sufficit ut in subiecto denominationis sit extrinsecè. Et ita vestis est accidens vestiti, estque accidens non nisi denominationis, quia vestis in re, substantia est, hinc & in vestito, est tanquam in subiecto denominationis.

ADDO. Hanc ipsam aptitudinalem inhaerentiam, debere sumi radicaliter, nam formaliter sumpta, non esset de primo essentiali conceptu accidentis. Ratio. Tum quia prior est aptitudinali inhaerentia, sumpta ipsa radix illius aptitudinis. Hinc valet argumentatio: accidens, est aptum inhaerere, ergo habet radicem, ex qua fuit hæc aptitudo. Tum quia in substantia, aptitudine subsistendi formaliter sumpta, datur prior conceptus, nempe ipsum illud esse, cui debetur ipsa illa aptitudo, ergo & aptitudinalis inhaerentia formaliter sumpta, non est primo essentialis conceptus. Tum quia conceptus absolutus prior est respectivo, sed radix illa est quid absolutum, aptitudo autem inhaerentia, est quid respectivum, ergo radix illa, ex qua fuit formalis illa aptitudinalis inhaerentia prior erit.

Hinc bene sic conciperetur primo essentialis conceptus accidentis quod sit radix, ex qua fuit aptitudinalis inhaerentia.

QUÆRES II. *Quomodo formandus sit conceptus inhaerentia debite accidenti?*

EXPLICAT I. Pontius Disp. 13. n. 5. Quod est in alio tanquam in subiecto informationis, est tale, ut cum eo in quo est, faciat unum per se, quod autem est in alio tanquam in subiecto inhaerentis, quod propriissimum accidenti est, est in alio, cum quo non facit unum per se, sed unum per accidens, tunc autem facit unum per se, quando ratione ejus, toti conflato ex illa forma & subiecto, conveniunt, aut saltem naturaliter conveniunt (nisi ponatur impedimentum extrinsecum) qualitates deservientes, ad constitutionem istius formæ, in subiecto illo. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia idem per idem explicat. Si enim quæram quid est, forma accidentalis? Dicitur quæ componit esse accidentale; si quæram quid est componere totum accidentale? Respondetur, quod sit componere totum ratione formæ non exigentis determinatas qualitates; quod si ulterius quæram, sintne istæ qualitates accidentia? Respondebitur affirmativè, consequenter à primo ad ultimum forma accidentalis est quæ, non exigit alia accidentia, de quo ipso quæritur, quid ejus accidentia? Tum quia per Pontium Disp. 12. n. 9. Non est primò essentialis conceptus substantiæ subistere accidentibus, quia si per impossibile daretur aliquod ens finitum, quod non posset subistere accidentibus, nec tamen inhaerere,

adhuc esset substantia. Sic & in præsentī dici posset, si daretur substantia nulla accidentia requirens, adhuc esset substantia, ergo ratio substantiæ, non rectè explicatur per exigentiam determinatarum qualitarum, quod tamen ipse in hac explicatione supponit. Ergo ulterius, si potest esse substantia non requirens determinata accidentia, etiam accidens, non per hoc constituetur, in ratione accidentis, quia non requirit determinata accidentia, cum illa possit non requirere, etiam substantia. Tum quia non repugnat ut accidens requirat alia accidentia, ut dictum supra. Tum quia Corpus simplex est totum per se, & tamen non exigit ad sui conservationem certa accidentia; ex alia parte calor, est forma accidentalis, nihilominus ad sui conservationem, exigit siccitatem, ergo apparet, quod exigere qualitates, non sit quid constitutivum formæ substantialis ab accidentali.

EXPLICAT II. Lugo. Disp. 12. de Incarn. Sect. 3. Accidens est idem, quod ens in alio, est autem ens in alio, quod advenit alicui constituto in suo esse completo. Nam licet forma materialis adveniat materiæ, & unio, utriusque, non tamen Forma materialis est in alio, quia materia absque forma, nondum est aliud, nec hoc aliquid, sed entitas partialis & incompleta, at verò albedo v. g. advenit homini, qui est aliud, & ens totale completum. Subjungit, omnis inquit forma, sive substantialis, sive accidentalis videtur indigere al quo sustentaculo, hoc tamen discrimine, quod forma accidentalis exigit sustentari & fulciri ab alio, natura verò substantialis propter suam perfectionem non indiget hoc, sed sustentat se ipsam, quia à se ipsa habet per emanationem, sustentaculum illud. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia etiam forma substantialis divinitus potest advenire enti completo, nec tamen desinere per hoc esse substantialis, Ergo ratio constitutiva accidentis, non est advenire enti completo, præcipue quia hic quæritur de tali constitutivo, quod etiam per potentiam obedientialem, non possit convenire alteri, sicut nec per obedientialem potentiam convenit homini, ut sit rugibile; & sicut non esset constitutivum hominis animal rationale, licet hoc saltem divinitus competere alteri. Ita & in præsentī, cum divinitus possit advenire Enti completo Forma substantialis, hoc quod est advenire Enti completo, non constituit accidens, in ratione accidentis. Tum quia sunt accidentia, quæ exigunt advenire enti ante completionem, hocque vèr ficatur in omnibus dispositionibus ad formas substantiales; imò si materia fuisset creata, & tamen spoliata omni forma substantiali, prius illi advenire debuissent accidentia. Ergo non convenit unicè accidenti advenire Enti completo,

† R 2

cum

cum advenire possint enti incompleto, imò nata sint advenire. Tum quia redit totum argumentum, quia in fulciri & sustentari æquè se habent forma materialis & accidentia, illarumque priorum prius ostendi debet substantialitas, quàm quòd possunt emanare substantiam. Ergo & in præsentī prius debet ostendi quid sit Accidens quàm quòd natum sit advenire.

EXPLICATUR aliter forma accidentalis ejusque in alietas, proportionatè ad ea quæ dicta de substantia, quòd scilicet ita sit in alio, ut licet absit nihil essentialē subjecto censeatur abesse,

hocque respicit tota illa definitio accidentis, quòd possit adesse & abesse sine subjecti corruptione.

ADDO. Posita entitate accidentis cum sola radicali in alietate, sine ulla actuali inhærentia, non est necesse superaddi modalitatem vel entitatem aliquam quæ sit inhærentia. Ratio, quia nulla hujus necessitas. Hinc nos nec substantiam dicimus esse quid superadditum entitati ipsi substantiæ, licet unio non possit esse sine aliquo superaddito, propter rationes alibi adlatas.

DISPUTATIO V.

De Oppositis Enti reali:

Enti reali oppositum I. est nihil, seu non esse entis. II. Opponitur enti quæcunque negatio, quæ si sit cum capacitate subjecti ad oppositum erit privatio, sine autem capacitate subjecti, mera negatio. III. Quod opponitur enti, est ens rationis.

Nihil autem & negatio hîc pro eodem sumuntur, condistinguuntur tamen eo, quod imprimis nihil spectat ad non esse, negatio autem spectat ad non dici, vel dici cum negatione; hinc nihil, opponitur esse, negatio autem opponitur affirmationi. Unde nihil est quasi quid prius, considerationisque metaphysicæ, negari autem & negatio, est posterius quid, spectansque ad dici. Rursus rigoroſè loquendo, nihil non requirit fundari in positivo sicut nihil creatum erat ab æterno, in nullo autem positivo fundatum. Negatio autem fundatur in aliquo positivo, ne detur negatio negationis.

Quod attinet ad ens rationis, illud etiam duplex est. Quoddam ens rationis Logicum & de hoc egimus in præcedentibus Logicis. II. Ens rationis antonomasticè dictum, seu ens rationis Metaphysicum, & de hoc in præsentī tractandum erit.

* *

*

QUÆSTIO I.

De Natura Entis rationis.

Sicut de aliis entibus ordinariè quæritur, ita & de entibus rationis quæretur, quid sint? & an sint?

DIFICULTAS I.

Explicatur: quid sit ens Rationis.

Multas explicationes entis rationis refutatas vide apud alios, hîc speciales perstringentur.

Punctum Difficultatis 1.

Quid per alios ens Rationis?

EXPLICAT I. Pontius. *Ens rationis est id, quod nequit aliquid efficere, nec inexistere alicui potenti efficere, nisi per considerationem potentia potenti aliquid considerare. Hac explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia datur in ente rationis aliquid prius, ex quo fluit, quòd non possit quidquam efficere, neque inexistere potenti efficere, hæc enim prædicata, sunt quasi relativa, quæ fundari debent in absoluto. Tum quia per Pontium duo entia rationis, quando à duobus